DISSERTATIO THEOLOGICA INAVGVRALIS
DE

ABSOLVTIONE MORTVORVM EXCOMMVNICATORVM SEV TYMPANICORVM IN ECCLESIA GRAECA

QVAM
VENERANDI ORDINIS THEOLOGICI INDVLTV
PRAESIDE

IO. ANDREA SCHMIDIO
ABBATE MARIAEVALLENSI
SS. TH. D. EIVSQ. ET ANTIQQ. SS. PP.
ORDINIS SVI SENIORE
H. T. DECANO ET PROMOTORE

PRO LICENTIA
SVMMOS IN THEOLOGIA HONORES
RITE CAPESSENDI
IN IVLEO MAIORI
IPSIS CALEND. FEBRVARII
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
PVBLICO EXAMINI EXPONET

IO. MICHAEL HEINECCIVS
REGIVS DIOECESEOS SALANAE IN DVCATV MAGDEBVRGICO INSPECTOR ADI. PASTOR AD DIV. VLRICI ET
GYMNASII HALENSIS SCHOLARCHA.

HELMSTADII MDCCIX.
TYPIS GEORGII WOLFGANGI HAMMII ACAD. TYPOGR.

POTENTISSIMI

REGIS PRVSSIAE

ILLVSTRI

ATQVE

EXCELLENTISSIMO

PER

DVCATVM MAGDEBVRGICVM

REGIMINI

EIVSQVE

PERILLVSTRIBVS ET EXCELLENTISSIMIS

PRAESIDI

ET

CONSILIARIIS

DOMINIS MEIS AC PATRONIS

HVMILLIME VENERANDIS

)(CIVI-

CIVITATIS

HALENSIS

CONSVLTISSIMIS AMPLISSIMIS PRVDENTISSIMIS

CONSVLIBVS

ET

SENATORIBVS

DOMINIS MEIS ET PATRONIS PERPETVO COLENDIS

ET

ET DENIQVE

COLLEGII ECCLESIASTICI

AD AEDEM

DIVI VLRICI

NOBILISSIMIS ET AMPLISSIMIS

PROVISORIBVS

ET

OCTOVIRIS

PATRONIS MEIS ET EVERGETIS
PLVRIMVM HONORANDIS

DEVM PROPITIVM
FELICES
CONSILIORVM ET RERVM SVCCESSVS
VALETVDINEM PROSPERAM
VBIQVE FELICITATEM EXOPTATISSIMAM
APPRECOR
ET
DISSERTATIONEM HANC
TANQVAM
GRATIAE
FAVORIS
ET
LIBERALITATIS
EORVM
PERPETVVM MONIMENTVM
EX VOTO
IVRE MERITOQVE
HVMILLIME, OBSEQVIOSE, PERAMANTER
D. D. D.
IO. MICHAEL HEINECCIVS.

I. N. I.

Disciplina ecclesiastica severiore ecclesia primitiva inter uncos & equuleos stetit; eius abusu in pace tutissima, & media rerum omnium affluentia pene periit. Excommunicatio enim, qua initio profligatissimi peccatores feriebantur, caeteri in officio continebantur, atque adeo christianismi intégritati consulebatur, labente sensim tempore evehendae ad summum pontificum tyrannidi, impotentissimaeque cleri licentiae stabiliendae inserviit, pessimo exemplo, & merito detestando. Fulmen, quod peccatores olim terruerat, postea in principes pios & integras respublicas, imo ne quid ineptiarum deesset, etiam in aves, feras & insecta vibratum est, dirisque devoti omnes, qui iuris sui adversus clerum essent servantiores. Sententia qua olim communione ecclesiae devota capita exciderant, postea in tantam abiit tyrannidem, ut poene ex humani generis consortio tollerentur & bestiarum, immo daemonum numero adscriberentur, si quibus cleri invidia hanc notam inussisset. Horridum sane dictu est, excommunicatos omni iurisdictionis usu & actibus forensibus, in tantum privatos, ut nec aliis praeesse, nec advocatorum aut procuratorum muneribus fungi, nec ullum contractum civilem inire possent. (*a*) Inusitata crudelitas

(*a*) *Vid.* Vinc. Filliucii *Quaest. Moral. Tom. I. tract. 7. pag. 219. aliosque canonistas.* Ut & *Greg. Sayri Opp. Theol. Tom. II. lib. 2. de effectibus excommun. maioris. cap. 3. seqq.*

litas eſt, eiusmodi homines ubi obierint, inſepultos proiici, & feris beſtiis avibusque in praedam dari conſueviſſe, quaſi & in corpora ſaeviendum eſſet clericis, qui iam in animas dominium plus quam tyrannicum affectaverant. (*b*) Tanta ſcilicet erat, cunte in praeceps puriore doctrina, cleri præſumtio, Cui ſtabiliendae varia fingenda erant commenta de purgatorio, de excommunicatorum cadaverum inquie, deque variis eorum tormentis, quae ſaepe & iis clerus minabatur, qui poenitentes quidem diſceſſerint, nec tamen ſolennem abſolutionis formulam morte praeventi audiviſſent. Sic demum factum eſt, ut plebs ſuperſtitione oppreſſa & his laqueis irretita, clericos tanquam coeli infernique arbitros, imo tanquam deos & ſummos humani generis dominos ſuſpiceret, ac tantum non poſito genu adoraret, ne forte terribilia eorum in ſe provocaret fulmina. Ea opinio etiam Græciam pervaſit, & hodienum occupat. Eo magis enim graeculi, ad ſuperſtitionem ſatis proclives, cleri fulmina timent, quo certius ſibi perſuadent, eos, quos mors in iſta conditione oppreſſerit, tamdiu excruciari, & corporis inſtar tympani turgentis foedo aſpectu infamiam apud poſteros ferre, donec abſolutione ſolenni eccleſiae reſtituerentur. Egregie ſibi hoc commento placent graeculi, illudque miraculis ſimile iactant, tanta praeſumtione, ut inde pro eccleſia ſua argumenta ducere ſoleant. (*c*) Liceat

(*b*) *Acta Concil. V. Tricaſſin. Ao. 878. habiti can. 3. & 7. Innocent. III. lib. 15. epiſt. 129. Eiusdem acta pag. 34.* Roger. Hoveden. *pag. 769. 773. 801. 810.* Orderic. Vital. *l. 13. pag. 908.* Carol. du Fresne *Part. 2. Gloſſ. Lat. pag. 12.* (*c*) Hinc enim hoc miraculum opponebant Turcorum monarchae Mahometi, quem etiam iſto audito dicunt obſtupuiſſe, religionemque chriſtianorum θαυμασίαν καὶ ἀληθῆ *veram & admirandam eſſe*, confeſſum. Crus. Turc. Graec. l. 1. p. 28. Dixit enim ὅτι ναὶ ἀληθῶς ἡ πίστις τῶν χριστιανῶν εἶναι ἀληθινή. *Profecto religio chriſtiana extra controverſiam vera eſt.* Idem l. 2. pag. 137. Unde ipſe exclamat Malaxus: ὢ τῶν μεγάλων θαυμάτων τοῦ θεοῦ: καὶ ὢ τῆς

Liceat igitur nobis institutum hoc graecanicum, nempe de ABSOLVTIONE MORTVORVM EXCOMMVNICATORVM, quod pleniore tractatione dignum iudicavimus, paullo uberius proponere, & tum exemplis stabilire, tum quid de eo habendum sit, ad scripturae sacrae & theologiae fundamenta examinare.

§. I.

Absolutionem autem mortuorum excommunicatorum, sive tympanicorum, dum proponere constitui, pauca de ipsa re erunt praemonenda. In ea nimirum sententia sunt graeculi, eos, qui excommunicati ad plures abeunt, irresolubiles esse, corporaque eorum in modum tympani turgentia & aspectu horrida non antea in cinerem dissipari, quam solennis absolutio intercesserit, qua obtenta uno momento resiliant, & in cineres pro communi generis humani sorte redigantur. Mirus hic & stupendus excommunicationis graecanicae effectus hunc in modum describitur a GREGORIO MELISSENO, (a) patriarcha Constantinopolitano; Εἰ γὰρ ἁπλῶς ἀφορισμὸν ἐπισκόπου δεξάμενός τις, τυμπανίας εὑρίσκεται, ὡς καὶ νῦν εἴδομεν, καὶ τῇ συγχωρήσει τοῦ Ἀρχιερέως διαλύεται. *Si quis simpliciter excommunicationem episcopi passus fuerit, tympaniticus apparet, ceu etiamnum videmus & absolutione antistitis dissolvitur.*

 Gemi-

ὢ τῆς αὐτοῦ εὐσπλαγχνίας καὶ φιλανθρωπίας θαῦμα μέγα καὶ φρικτὸν ἐκεῖνο τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ. *Ecce tunc ingens miraculum a Deo, ecce misericordiam divinam & propensum erga humanum genus amorem: miraculum inquam ingens & stupendum ea hora divinitus factum.* Nec contra infideles modo: sed & contra pontificios hoc eos argumento uti, testis est αὐτόπτης *Ant. Legerus*, qui relatis huius excommunicationis phaenomenis: *quo*, inquit, *miraculo, tanquam Achilleo ecclesia graeca latinae se praeferre consuevit. Vid. Hotting. sec. 12. H. E. sect. 1. pag. 178. Tom. III.*

(a) *In Apol. pro Concil. Florent. pag. 432. Tom. XIII. Concil.* Conf. eadem eiusdem verba in *Tom. I. Graec. orthod. pag. 432.*

Gemina his ſunt quae reperiuntur in hiſtoria politica Turco-Graeciae a CRVSIO (*a*) edita: Μετὰ τῶν ἄλλων ἦν, ὧν ἠρώτα, καὶ ἐμάνθανεν, ἤκουσε καὶ περὶ τοῦ ἀφορισμοῦ: ὅτι, ὃν ἂν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ ἱερεῖς τῶν χριστιανῶν ἀφορίσωσιν εὐλόγως: ὅτε τις ἀδικήσῃ, ἢ πταίσῃ, οὐ διαλύεται ἐν τῇ γῇ: ἀλλὰ μένει τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀδιάλυτον καὶ σῶον ἐν γῇ: καὶ φαίνονται, ὅτε τις τάφος ἀφορισμένου ἀνεῳχθῇ ὡς τύμπανα, καὶ μέλανες, ἀποβαλόντες οὐδὲν ἐκ τῶν μελῶν, οὐδὲ αὐτὰς τὰς τρίχας. Καὶ ὅτι, ἐπὰν αὐτῷ συγχωρήσωσι δι' εὐχῆς καὶ ἐπικλήσεως θεοῦ: λύεται πάλιν, καὶ κόνις γίνεται. *Inter alia quae interrogatus diſcebat. etiam de anathemate ſeu excommunicatione audivit, videlicet, quicunque a pontificibus & ſacerdotibus chriſtianis iuſta de cauſa ob peccatum aut ſcelus e ſacro coetu expellatur: hunc talem humatum non diſſolvi in terram: ſed manere corpus ejus indiſſolutum & integrum in terra: conſpicique ſepulcro talis aperto, cadaver inſtar tympani inflatum & nigrum, nullo membro amiſſo, ne ipſo quidem capillo. Rurſus ſi veniam precibus & invocatione numinis divini ei impetrent, diſſolutionem cadaveris in cinerem fieri.* Iisdem fere verbis dialecto vulgari res deſcribitur in hiſtoria Turco-Graeciae eccleſiaſtica ab EMANVELE MALAXO (*b*) compilata: Μέσα δὲ εἰς ὅλα τοῦ εἶπαν: ὅτι τῶν χριστιανῶν οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ ἱερεῖς, ὅσους ἀφορίζουν νομίμως εἰς πταισιμον, ὅπου νὰ σφάλουν: καὶ δὲν σώζουν ζῶντας τοὺς, νὰ διορθοῦν καὶ νὰ λατρεύουν εἰς ἐκεῖνο τὸ πταίσιμον, ὁποῦ ἀφορίσθησαν: ἡ γῆς δὲν λύει τὸ κορμὴ ἐκείνου τοῦ ἀφορισμένου: ἀμὴ μένουν ὡσὰν τύμπανα; καὶ ἂν περάσουν καὶ χίλιοι χρόνοι, αὐτὰ δὲν τὰ τρώγῃ ἡ γῆς τελείως: μόνον στέκονται ἀκέραια καθὼς τὰ ἔθαψαν. Ερώτησε δὲ αὐτοὺς ἐὰν δύνωνται νὰ συγχωρηθοῦν: πάλιν νὰ διαλύσουν τὰ κορμία αὐτῶν, καὶ ἀπεκρίθησαν, καὶ εἶπαν, ὅτι δύναται. *Inter caetera, quae ei* (Sultano) *indicarunt* (Trapezuntini chriſtiani) *etiam hoc dixerunt, quoscunque chriſtiani*

(*b*) *Cruſ. lib. 1. Turco-Graec. pag. 27.*

(*b*) *apud Martin Cruſ. lib. 2. pag. 133.*

christiani pontifices & sacerdotes legitime ob peccatum aliquod admissum sacro coetu eiiciant, nec occupent eos, dum in vivis sint, emendare, ut expientur ab illo lapsu, propter quem eiecti fuerunt: eorum cadavera, ita in exilio spirituali mortuorum non dissolvi a terra: sed remanere tympanorum instar inflata: nec, si mille etiam transierint anni, omnino a terra consumi: sed restare integra sicuti humata fuerint. Interrogavit amplius (Sultanus) *num iidem possunt, data absolutione, rursus dissolubilia facere ea corpora? responderunt illi,* (christiani Trapezuntini) *posse*. Paulo prolixius, variatis etiam nonnihil circumstantiis miraculum hoc describit IACOBVS GOAR, (*a*) qui cum diu admodum inter graecos versatus sit, ritus utique eorum satis perspectos videtur habuisse. Ita vero ille: *graeci si quae post mortem in terram non soluta corpora reperiant, haec vel sanctorum reliquias, vel perditorum hominum & excommunicatorum horrenda cadavera opinantur. Reliquias quidem sacras, si suavem exhalent odorem, aliqua decoris luce praefulgeant, nec quicquam horroris praemonstrent: abominanda segregatorum cadavera, si ut ipsi aiunt τυμπανιαῖα ad tympani morem turgentia, nigra, deformia appareant. Nec indiciis falluntur. Longa enim apud eos compertum est experientia, excommunicati cuiuslibet corpus post mortem non putrescere, pluresque reperi de auditu & visu testes, cadauera huiusmodi incorrupta in terram suam absolutione accepta, sub omnium oculis mox ut ligone a pontifice percussa fuerant, redacta fuisse, adfirmantes.* Audiamus etiam LEONEM ALLATIVM, (*b*) ipsum quidem graecum, sed patriae religionis desertorem, qui de tympanicis ita narrat: *stultissima ista de excommunicatorum cadaveribus indissolutis opinatio apud eam nationem adeo invaluit, ut iam nemo sit, si uspiam tale quid comperiatur, qui dubitet, cadaver illud esse excommunicati; quod extrahunt, & variis deprecationibus ac dicendi formulis absolvunt, quibus exsolutis asseveranter dicunt, cadaver subito in cineres converti.* Alio loco (*c*) patrium ritum describens: *pleraque*, inquit, *de excommunica-*

(*a*) *Iac. Goar not. ad Euchol. Graec. pag. 688.* (*b*) *Epist. ad Paul. Zachiam de graecor. quorund. opinationib. pag. 151.* (*c*) *De consens. utrimque eccles. in doctrina de purgat. n. 5. pag. 38.*

municatorum cadaveribus graeci recentiores comminiscuntur. -- Inter ea praecipuum est, excommunicatorum cadavera non abire in pulverem, neque dissolvi, sed instar tympani intumescere, & sic inflata longum per tempus durare, donec ab eo, qui excommunicatione feriit, vel ab alio, cui similia peragendi facultas est, a vinculo excommunicationis dissoluta, compagines etiam nervorum dissolutae fuerint, sicque in cineres convertantur. Brevius quidem, iisdem tamen circumstantiis hunc miraculosum excommunicationis graecae effectum describit CAROLVS DV FRESNE, (*a*) qui in glossario mediae & infimae graecitatis his verbis utitur: *τυμπανῖται dicuntur graecis recentioribus, qui in excommunicatione mortem obierunt, & quorum cadavera post obitum ad tympani morem turgentia deformia apparent eaque incorrupta, & quae tum resolvuntur postquam excommunicationis & interdicti a sacerdote data est absolutio.* Idem in glossario quoque latino (*b*) rei huius sequentem in modum meminit: *apud graecos constans & indubitata ea adhuc perseverat opinio: excommunicatorum corpora post mortem non putrescere. Unde cum id & virorum vitae sanctitate illustrium cadaveribus non raro aeque eveniat, hanc potissimum adhibent censuram, ut si illa quidem suave aliquid redoleant, aut quapiam decoris luce praefulgeant, pro reliquiis oolant; sin vero nigra & deformia appareant, aut foetorem emittant, denique si τυμπανικὰ sint, i. e. ad tympani morem turgentia, excommunicatorum illa indubie opinantur.* Denique non aliter rem retulit ANTON LEGERVS, cuius ex epistola fragmentum hoc nobis servavit HOTTINGERVS: (*c*) *Hoc viri graves inter gracos affirmant, in ecclesia graeca excommunicatorum cadavera lurida, tumida & ἀδιάλυτα διαλλεῖν, donec anathematis vinculo publicis ecclesiae precibus solvantur.* Omitto alia aliorum auctorum testimonia tam sibi invicem plerumque similia, ut alter fere alterum ex scripsisse videatur.

§. II.

(*a*) *Glossar. med. & infim. graecit. pag. 1621.*
(*b*) *Glossar. med. & infim. latinit. part. 2. pag. 22.*
(*c*) *Hist. eccles. secul. 12. sect. 1. pag. 178. Tom. III.*

§. II.

Quamvis igitur omnium, quos hactenus retuli, suffragio rei prodigiosae phaenomena in eo consistant

(1) quod excommunicatorum corpora putrescere & in cinerem redigi non soleant.

(2) quod eadem tympani ad instar turgeant, foedoque adspectu reatum in vita ante acta contractum ostendant.

(3) quod absolutionem certis formulis adepta, &, ut Goarus meminit, ligone percussa, in terram & pulverem resiliant.

non desunt tamen, qui & alias circumstantias satis portentosas ex sententia graecorum adiiciunt: sic enim CHRISTOPHORVS ANGELVS, (*a*) ut & magis miraculosa videretur haec gentis suae excommunicatio, addit, corpus excommunicatum effosso tumulo apparere *σῶον καὶ μέλανα, καὶ σὺν θριξὶ, τοὺς δὲ ὄνυχας αὐτοῦ λευκὰς integrum & nigrum cum capillis, ungues vero albos, illudque erectum stare στηριγμένον ἐξ αὐτοῦ, ὡς ξύλον στερεὸν, erectum firmiter, solidi ad modum ligni.* Si vero aliquis ventrem ipsius percutiat, sonum edere *ὡς τύμπανον, sicuti tympanum, unde & τυμπανιαῖοι vocentur.* Alii rem in immensum augent, & non solum turgentis foedique cadaveris, sed & daemoniacorum lusuum faciunt mentionem, quos apud eiusmodi hominum diris devotorum sepulcra crebro observari graeculi magna asseveratione contendunt. Obscure quidem hanc rem tangere videtur ille incertus NOMOCANONIS AVCTOR ab ALLATIO (*b*) allegatus, &, cuius locum iam supra allegavimus, EMANVEL MALAXVS, (*c*) siquidem excommunicatorum quoque animas post mortem tormentis exquisitissimis a diabolo excruciari, absolutione vero inde liberari adserunt. Verum cum hanc diaboli potestatem in solam animam concedere videantur, malumus ista quidem cum NATALE

ALE-

(*a*) *Enchirid. de statu hodierno eccles. graec. cap. 25. p. 522.* (*b*) *Allat. de consensu eccl. utriusque in doctrina de purgat. p. 39.* (*c*) *Malax. loc. cit. pag. 136.*

ALEXANDRO (*a*) ad graecas de loco mortuorum intermedio fabellas referre. Ad rem ipſam quod attinet, excommunicatorum corpora a daemonibus intrari & hominibus terriculamento eſſe, multaque perpetrare nefanda, exiſtimant; unde talia ſpectra vel *Burcolaccas*, vel *Brucolaccas*, vel *Buthrolaccas*, vel *Bulcolaccas* i. e. foedos & deteſtabiles (*b*) vocare ſolent. Audiamus de iis LEONEM ALLATIVM. (*c*) *Burcolacca, alii Buthrolaccam vocant, in genus humanum nihil excogitari poteſt immanius, aut perniciosius* - - - *Eſt porro peſſimi hominis & facinoroſi, ſaepeque etiam ab epiſcopo ſuo excommunicati cadaver, quod non ut reliqua demortuorum corpora defoſſa diſſolvitur atque in pulverem abit, ſed quaſi ex firmiſſima pelle conſtaret, per omnes ſui partes intumeſcit atque diſtenditur, ut vix flecti aliqua ſui parte poſſit; ſed cutis tanquam tympanum extenſa, eundem ac tympanum, ſi pulſatur, ſonum edit, quare & τυμπανιαῖος dicitur. Corpus ſic deformatum daemon ingreditur, & miſeris mortalibus infortunium pareat. Saepe enim ſub eo cadavere e ſepulchro egreſſus, & per urbem & alia loca habitata circumiens, & noctu potiſſimum, ad quam ſibi libuerit aedem confertur, pulſatiſque foribus, aliquem ex accolis aedis voce ſonora compellat. Si reſponderit, actum iam eſt de eo: altero enim die mortem obit. Si non reſponderit, ſalvus eſt. Hinc in ea inſula cives omnes, ſi noctu ab aliquo compellantur, nunquam prima vice reſpondent: nam ſi ſecundo compellatus fuerit, iam qui quaerit Burcolacca non eſt, ſed alius. Eamque peſtem adeo exitioſam mortalibus eſſe dicunt, ut interdiu etiam & meridie ipſo, non intra aedes tantum, ſed in agris & viis mediis, & ſepibus vinearum praetereuntes aggrediatur & aſpectu ſolo & viſu conficiat, non verbis tantum & contactu enecet. Homines ipſi, qui viderunt, ſi alloquantur, ſpectrum diſparet; qui locutus eſt, moritur. Quare cives cum vident homines nulla graſſante infirmitate, in tanta*

(*a*) *Natal. Alex. hiſt. ecclef. ſect. 4. differt. 45. pag. 599. Tom. IV.*

(*b*) *Du Freſne gloſſ. graec. pag. 217. vocem effictam putant a* βῦρκος *vel* βῦρκα *limus, aqua putreſcens &* λάκκος *foſſa, ita ut* βυρκολάκκαι *dicti fuerint a foeditate.*

(*c*) *Leo allat. epiſt. de graecor. opinat. §. 12. pag. 142.*

tanta copia emori, suspicati quod est, sepulcra, in quibus recens defunctus sepultus est, aperiunt, aliquando statim, aliquando etiam tardius: cadaver nondum corruptum conflatumque comperiunt: quod e sepulcro extractum, precibusque effusis a sacerdotibus, in rogum ardentem coniiciunt; & nondum completa supplicatione, cadaveris iuncturae sensim dissolvuntur, & reliqua exusta in cineres convertuntur. Alii daemonem esse, qui figuram demortui hominis induerit, opinantur, sub eaque homines, quos ipse vult, conficere. Haec LEO ALLATIVS, qui & plura ex nomocanone quodam allegato addit περὶ ἀνθρώπου ἀποθαμένου, ἐὰν εὑρεθῇ ἄλεγαιος τὸν ὁποῖον λέγουν βουρκόλακας, quibus adiicere licebit nomocanonem a COTELERIO (a) editum ubi ita cautum est: καὶ ἐὰν τύχῃ δαιμονικὸν εἰς τὸ λείψανον μὴ μνημονευέτω. *Si daemonicum quid acciderit cadaveri, hominis non celebretur commemoratio.* Respici enim his verbis ad hos ipsos lusus diabolicos, animadvertit etiam COTELERIVS, qui in notis (b) subiungit *intelligo de tympanicis & bucolaccis.* Multo plures de eiusmodi spectris circumstantias addit Mr. de RICAVT, (c) cuius verba ex anglica dialecto in gallicam, & ex hac denuo in germanicam translata, nos semel, hoc est, latine adscribemus: *graeci sacerdotes complura referre solent exempla phaenomenorum eiusmodi, quae excommunicationis horribili sententiae adscribunt, adeo ut ea in dubium vocare nemo audeat. Et sane inter alia huius generis constanter credunt, excommunicatorum cadavera non putrescere, nisi feralis sententia solenni absolutione expietur: cum apud nos e contrario, qui omni naturae artisque apparatu a corporibus demortuis putredinem removere solemus, nihil hoc esset horrore dignum futurum, si corpora ἀδιάλυτα permanerent. Quamvis vero ipsi graeci sanctorum consecratorum corpora inter sepulcrorum humores non secus ac inter calidissimas Aegypti Arabiaeque arenas divina virtute integra durasse existiment; attamen simul ea persuasione tenentur, genium malum excommunicatorum cadavera intrare, qui tantum*

(a) *Can. 75. ap. Coteler. Tom. 1.* (b) *Monum. eccl. graec. p. 81. p. 728.*
(c) *Ricaut hodiernae eccles. graecae & armenicae sub tyrannide turcic. cap. 13. pag. 59.*

abest, ut ea putrescere sinat, ut potius iis motum ac veluti vitam quandam praestare videatur. Hinc noctu edere, circumambulare, ea, quibus vescuntur, concoquere, atque adeo revera cibis ali autumant: imo asseverare solent, talia corpora fuisse inventa tam vivacia adhuc & succiplena, ut arteriae ac venae simul ac sectae sint, sanguinem non minus ferventem ac copiosum ebulliverint, ac homine vivo prodire soleat, licet miseri homines iam quadraginta dies in sepulcro latuerint. Ceterum isthaec superstitio adeo omnem ubique plebem invasit, ut nullum temere pagum reperias, cuius non incolae eiusmodi exempla in numerato habeant, sive a matribus & nutricibus ad colum narrata, sive a se ipsis, ut ferunt, visa, quae quidem ita enumerant, ut solent vulgo historiolae magicae referri, id est, ut finita vix una alia statim memoriae succurrat. Haec laudatus RICAVTVS (*a*) qui etiam a Turcis excommunicationi christianae hanc vim & efficaciam tribui narrat. Ne tamen eius fidem hac in re suspectam habeamus, consentientem in eo habet dominum de la CROIX, (*b*) ex cuius testimonio constat, graecos utique superstitionem suam fabulis eiusmodi anilibus stabilire. Prolixe enim satis refert, corpora illorum, qui non expiato crimine semoti separatique a coetu hominum obeant, iuxta superstitiosam graeculorum sententiam ab infernali indui genio, cursitare per plateas, provocare homines, multaque horrenda perpetrare, donec solenni formula, quam itidem describit, anathematis vinculo liberentur.

§. III.

Quicquid vero de lusibus hisce malorum geniorum ex sententia graeculorum referant autores hi gravissimi, id tamen certum est atque indubitatum, cordatos graecos omissis eiusmodi nugis, illorum tantum phaenomenorum mentionem facere, quae supra §. I. enumeravimus. Vnde facile adducor, ut ea, quae ALLATIVS, du FRESNE, RICAVTVS & Mr. de la CROIX addunt, plebis superstitioni omnia in maius

(*a*) *Ricaut. loc. cit. pag. 60.* (*b*) *Monf. de la Croix dans l' Etat present des nations & eglises Grecque, Armenienne & Maronite l. 1. c. 26.*

maius augenti, originem debere credam. Certe non aliunde rectius graecorum sententiam, quam ex ipsis excommunicationum formulis percipiemus, quarum diversas habemus. Primam debemus CHRISTOPHORO ANGELO, (*a*) qui etiam nonnullas ceremonias addit, ab aliis non animadversas. Ita enim ait: *Τότε ὁ ἐπίσκοπος ἢ ἱερεὺς ἐνδύεται τὰ ἱερατικὰ ἐνδύματα, κἂν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τύχῃ, κἂν ἀλλαχοῦ· ἅτινα ἐνδύματα σημαίνει τὴν ἅλωσιν καὶ τὴν κοκκίνην χλαμύδα τοῦ χριστοῦ καὶ τὰ ἑξῆς, καὶ ἔστι τότε ὁ ἐπίσκοπος ὁ ἱερεὺς ἐκεῖνος τύπος χριστοῦ διὰ τῶν ἱερῶν ἐνδυμάτων, καὶ διὰ τῆς χάριτος, ἣν ἔλαβεν ἀπὸ τῶν ἐπισκόπων, καὶ κελεύει στῆναι τὸν ψευδομάρτυρα κατέναντι αὐτοῦ, καὶ ἄρχεται ἀναγινώσκειν ψαλμόν τινα, τὸν λέγοντα: Ὁ Θεὸς τὴν αἴνεσίν μου μὴ παρασιωπήσῃς; ὅτι στόμα ἁμαρτωλοῦ καὶ δολίου ἐπ' ἐμὲ ἠνοίχθη, καὶ τὰ ἑξῆς τούτου τοῦ ψαλμοῦ, καὶ ἑτέρας τινὰς εὐχὰς καὶ τότε λέγει· κατὰ τὴν ἐξουσίαν ἣν ἔδωκεν ὁ χριστὸς τοῖς ἀποστόλοις, λέγων: Ὅσα ἂν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμμένα καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς ἔσται δεδεμένα καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ κατὰ τὴν ἐξουσίαν, ἣν ἔδωκαν οἱ ἀπόστολοι τοῖς ἐπισκόποις, καὶ οἱ ἐπίσκοποι ἔδωκαν ἐμοὶ, κατὰ ταύτην τὴν ἐξουσίαν ἀφορίζωσι, ἔσῃ ἀσυγχώρητος καὶ ἀφωρισμένος ἀπὸ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, καὶ ἀπὸ τῶν ἁγίων τριακοσιῶν καὶ δεκαοκτὼ θεοφόρων πατέρων τῶν ἐν Νικαίᾳ, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν ἁγίων, καὶ ἔσται τὸ μέρος σου μετὰ τοῦ διαβόλου, καὶ τοῦ Ἰούδα, καὶ ἔσῃ μετὰ θάνατον ἄλυτος αἰωνίως, ὡς αἱ πέτραι καὶ τὰ σίδηρα εἰς μαρτύριον ἐὰν μὴ μετανοήσῃ. Tunc episcopus aut sacerdos, sive intra, sive extra ecclesiam sacerdotales vestes induit. Vestimenta autem haec Christi captivam deductionem, coccineam chlamydem & reliqua repraesentant. Et propter illa ipsa, sicuti & propter spiritualem ab episcopo in se derivatam gratiam, sacerdos Christi personam refert. Atque hic isto modo falsi testimo-*

(*a*) *Christoph. Angelus in Enchirid. de statu graec. cap. 25. p. 520. seqq.*

testimonii fabricatorem in conspectu suo iubet consistere, & incipit praelegere eidem psalmum hunc, qui haec verba continet: Domine laudem meam silentio non involves, nam apertum est os peccatoris & dolosi contra me. Quibus & caetera, quae in hoc psalmo sequuntur, & alias orationes subiungit. Vltimo autem in haec verba prorumpit: vigore illius potestatis, quam Christus apostolis suis concessit, dicens: quaecunque solveritis &c. quamque ab apostolis acceptam episcopi mihi dederunt, vigore huius, aio, potestatis, excommunico te, erisque exclusus & segregatus a coniunctione patris & filii & spiritus S. nec non a communione trecentorum & octodecim spiritu Dei actorum patrum illorum in Nicaea congregatorum, omniumque sanctorum, & erit sors seu portio tua cum diabolo & Juda, quin vita hac defunctus in aeternum in cineres non resolveris, sed instar lapidis & ferri aeternum compactus iacebis, idque in testimonium nisi resipueris. Alteram edidit RICAVTVS, (*a*) eamque generalem in omnes, qui extantiore aliquo crimine sese polluunt, pronunciandam, cuius partem huc pertinentem repetemus: Ἐὰν μὴ πληρώσωσι τὸ δίκαιον αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἐξουσιάσωσιν αὐτὸν εἰρηνικῶς, ἀλλ' ἐάσωσιν τοῦ τὸν ἠδικημένον, καὶ ἐζημιωμένον, ἀφωρισμένοι ἤσαν παρὰ θεοῦ παντοκράτορος καὶ κατηραμένοι, καὶ ἀσυγχώρητοι, καὶ ἄλυτοι μετὰ θάνατον ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, καὶ ἐν τῷ μέλλοντι αἱ πέτραι, καὶ τὰ ξύλα, ὁ σίδηρος λυθήσονται, αὐτοὶ οὐδαμῶς. κ. τ. λ. *Nisi suum cuique reddiderint & aequo animo restituerint, aut si perire illud siverint, semoti segregatique sunto ab omnipotente Deo, diris devoti, remissionis omnis exsortes, & post mortem quoque indissolubiles hoc pariter & futuro aevo permanento. Saxa, ligna & ferra prius, quam miseri isti, dissolvuntor. &c.* Aliam vero specialem excommunicationis formulam, per modum diplomatis conceptam ex episcopi Vabrensis bibliotheca edidit IACOBVS GOAR, (*b*) dignam, quae hic integra legatur:

Κύριλλος ἐλέῳ θεοῦ πάπας καὶ πατριάρχης τῆς μητροπόλεως Ἀλεξανδρείας καὶ ἐπιτηρητὴς τοῦ οἰκουμενικοῦ θρόνου.

Cyrillus Dei gratia, papa & patriarcha metropolis Alexandriae & universalis throni custos.

Ἱερο-

(*a*) *Ricautus loc. cit. pag. 58.* (*b*) *Iacob. Goar. loc. cit. pag. 688.*

Ἱερώτατε μητροπολῖτα Ναυπλίου καὶ Ἄργους, καὶ ὑπεραγαπητὲ ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀγαπητὲ ἀδελφὲ καὶ συλλειτουργέ. Χάρις εἴη σοι καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ. Διὰ τοῦ παρόντος γράμματος ἀποφαινόμεθα, ἵνα ὡς ἐκεῖνοι οἱ χριστιανοὶ, οἱ παρακινοῦντες καὶ συμβουλεύοντες τὴν γυναῖκα τοῦ ἀποθανόντος Σταματίου τοῦ Χριστοφόρου, ἀθετήσαι τὰ συμφωνικὰ καὶ ἐξισασμοῦ γράμματα, ἅπερ ἐποίησε μετὰ τῶν ἀνδραδέλφων αὐτῆς Κωνσταντῆ καὶ Δαμασκηνοῦ καὶ ἀρνηθῆναι τὰ ὅσα ἔλαβε παρ' αὐτῶν, ἄνδρες ὄντες καὶ γυναῖκες ἀφωρισμένοι εἰσὶν ἀπὸ Θεοῦ παντοκράτορος, καὶ κατηραμένοι καὶ ἀσυγχώρητοι, καὶ μετὰ τὸν θάνατον ἄλυτοι, ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, καὶ τυμπανικοί· ὡς οὐ παύσονται τῶν σκανδάλων καὶ ἐάσωσι τὰ τοῦ ἐξισασμοῦ γράμματα ἔχειν τὸ κῦρος, καὶ ἀμετάτρεπτον ὀφειλούμενον παρ' αὐτῆς τῆς τοῦ Σταματίου γυναικὸς, καὶ ἐμμένειν ἐν τῷ ἐξισασμῷ αὐτῆς, καὶ μὴ σαλεῦσαι, καὶ ἀθετῆσαι τὰ γεγραμμένα καὶ ληφθέντα ἐν βάρει ἀλύτου καὶ αἰωνίου ἀφορισμοῦ, καὶ ἐξώσει τῆς ἐκκλησίας Χριστοῦ. Ὅσοι δὲ εὑρίσκονται μάρτυρες ἐν τῇ αὐτῇ ὑποθέσει, ἐὰν μὴ μαρτυρήσωσιν ἀπροσωπολη-

Sacerrime Nauplii & Argo metropolita, venerande in sancto spiritu, dilecte frater, & comminister. Gratia tibi & pax a Deo. Praesentibus literis declaramus, ut quicunque sunt ii christiani, qui commovent & consulunt uxori Stanislai, filii Christophori defuncti, ut irritet conventa & pacti scripta, quae cum mariti sui fratribus Constante & Damasceno firmavit, & ut qvae ab eis accepit inficietur: sive viri sint, sive mulieres, a Deo omnipotente sint excommunicati, maledicti, & incondonati, & post mortem inconsumpti, & indissoluti in praesenti saeculo & in futuro & tympani more turgidi, quousque a dandis scandalis desistant & pacti scripta suum robur & stabilitatem habere permittant, & ipsa suis conventionibus firmet fidem, nec immutet aut irritet scripta, & accepta, sub poena indissolvendae & aeternae excommunicationis & ab ecclesia segregationis. Quotquot vero in hoc negotio testes reperiuntur, nisi absque personarum acceptione testimonium perhibeant, ubi-

προσοίσας τὴν ἀλήθειαν, ὅπου ἂν προσκαλέσωσιν, ἀφωρισμένοι ἔσωσαν καὶ ἀσυγχώρητοι. ἡ δὲ τοῦ θεοῦ χάρις εἴη σοι.

ubicunque ad iudicium evocabuntur, excommunicati sint & incondonati. Gratia vero Dei tibi sit.

Ex utraque igitur formula satis perspicimus, graecos flamines excommunicationis fulmine corpori non nisi varios morbos & si inexpiata discesserint turgentia cadavera minari, de daemonis vero potestate plane tacere, argumento satis luculento, istam quidem solius plebis esse opinionem, clericis quidem minime credibilem, tolerari tamen solitam, ut eo maior esset excommunicationis suae auctoritas, quam religioni christianae apud se firmandae maxime conducere haut vane credunt. (*a*)

§. IV.

Sed num tanta prodigia unquam acciderint, ante omnia nunc videtur inquirendum. Et sane si exempla requiramus, ea haut parva manu ferunt graeci scriptores, sed non nisi recentiores & qui paulo ante vel post Constantinopolin demum captam vixerunt. Ex eo enim tempore fama prodigii late patuit, cum ante isthaec tempora nec in synodorum actis, nec in historiarum graecarum monumentis ullum illius vestigium appareat. Non equidem ignoro CHRISTOPHORVM ANGELVM (*b*) provocare ad CASSIANVM graecum, quem vocat παλαιὸν ἱστορικὸν, historicum antiquum, qui in historiis suis narret episcopum quendam caeteros deserentem, in synodo a centum aliis episcopis abstentum redditum, inexpiatumque ad plures abiisse, circumactis vero centum annis repertum tympanicum, & instar ferri induratum, & in alia synodo absolutum in cineres abiisse. Sed quam parum hoc argumento confecerit nemo non videt. Equidem GVIL. CAVE (*c*) haec Angeli verba laudans, quis ille sit CASSIANVS antiquus historicus ab Angelo allegatus

(*a*) *Vid. Thom. Smith. de eccl. graec. statu hodierno pag. 152. seq.*

(*b*) *Christoph. Angel. loc. cit. cap. 25. pag. 524.* (*c*) *Guil. Cave Part. II. h. l. pag. 6.*

gatus ignorare se fatetur, atque hinc etiam SIMLERVM & GESNERVM notat, annalium IVLII CASSIANI mentionem facientes, cum nusquam constet veterem illum CASSIANVM annales historicos edidisse. Sed viri perspicacissimi memoriam forte fugit HIERONYMI (*a*) locus, ex quo omnino constat IVLIVM istum CASSIANVM, qui seculo II. floruisse & docetarum vel antesignanus vel instaurator (*b*) fuisse fertur, praeter ἐξηγητικὰ & librum περὶ ἐγκρατείας & εὐνουχίας (*c*) etiam χρονογραφίαν scripsisse, quam etiam in stromatibus a CLEMENTE ALEXANDRINO allegari observat. (*d*) Interim cum hoc opusculum iam HIERONYMI aetate ita disparuerit, ut reperiri non posset, nec huc usque a quoquam vel editum sit, vel allegatum: non possumus non suspicari, CASSIANVM ab Angelo frustra allegari. Imo si vel maxime annales hi alicubi exstarent, merito tamen dubites, an de τυμπανιαίοις quicquam prodiderit memoriae, cum vix appareat ratio, quaenam synodi intelligendae sint; siquidem paucas seculo II. habitas constet, & nulla excogitari possit, quae ab altera centum annos absuerit. Nec de IOANNE porro CASSIANO, seculi quinti scriptore, quisquam veterum memoriae prodidit, eum historias aut annales condidisse. Omnia igitur quae ANGELVS ex CASSIANO refert, aut falsa, aut certe ex recentiore aliquo scriptore petita sunt: facile enim scriptori graeculo, in Anglia degenti, & procul dubio ex commentariis suis quidvis describenti, μνημονικὸν eiusmodi ἁμάρτημα excidere potuit. Haec cum ita sint, videmur nobis habere rationes, cur omisso isto CASSIANO, totum hoc graecorum miraculum recentius multo esse ac demum labente BYZANTINO imperio invaluisse existimemus. Sane ante GREGORIVM MELISSENVM, PROTOSYNCELLVM, qui synodo Floren-

(*a*) *Hieronym. cap. 38. catal. script. eccles.* (*b*) *Ittig. sect. 2. de Haeresiarch. cap. 10. pag. 175.* (*c*) *Vid. Clem. Alex. lib. 1. strom. pag. 320. & lib. 3. pag. 465.* (*d*) *Vid. Voss. lib. 3. de hist. lat. pag. 340. & Rever. Dni. Praesid. programma de scriptis ad historiam S. facientibus deperditis compendio H. E. V. T. praemissum.*

Florentinae interfuit, nemo eiusmodi prodigii meminit. Post ea vero tempora, talia exempla utramque paginam faciunt. Celebratissimum est illud, quod sub Mahomete Sultano, Byzantii victore, contigisse ferunt, qui cum exterorum rituum sacrorumque praeter Turcarum mores esset cupidissimus, ubi hunc excommunicationis graecae mirabilem effectum a christianis, qui in palatio erant, cognovit, statim mandavit patriarchae, ut cadaver diris devoti hominis quaereret, in quo miraculi caperet experimentum. Non sine trepidatione quidem auditum est hoc tyranni imperium: attamen clericis in mentem venit viduae a sacerdote relictae, forma quidem eminenti conspicuae, ob profligatam tamen libidinem crimenque patriarchae falso intentatum dudum a GENNADIO patriarcha sacro fulmine percussae. Inventum igitur cadaver tympani ad instar inflatum templo Pammacaristae virginis infertur, & arca, ne quid per fallaciam agi videretur, sigillo tyranni obsignatur. Interea patriarcha solenni officio fungitur, defunctam resacrat, absolutionisque diploma recitat, dum repente, (miram rem dictu) compages corporis separari & dissolvi coepit tam manifeste, ut adstantes strepitum audirent. Reclusa igitur a tyranni ministris arca, non nisi ossa disiuncta pulvereae massae intermixta apparuerunt, eoque nuncio obstupefactus Mehemet laudato palam fidei christianae cultu, religionem cariorem deinceps habuit. Primum hoc est, quantum mihi constat, exemplum, quod a MALAXO in Turco-Graecia CRVSIANA (*a*) refertur, & a GOARO, (*b*) ALLATIO, (*c*) BZOVIO, (*d*) HOTTINGERO, (*e*) HILARIO, (*f*) aliisque repeti solet, qui aliquid de hoc prodigio memoriae produnt. Idem tamen MALAXVS & bina alia enarrat, ARSENII nimirum, qui ob proditam latinis graecanicae ecclesiae causam, occu-

(*a*) *Crus. Turco-Graec. lib. 2. pag 27. 28.* (*b*) *Goar. loc. cit. pag. 689.* (*c*) *Allat. loc. cit.* (*d*) *Bzovius ad ann. Chr. 1481. n. 19.* (*e*) *Hottinger. sec. XV. hist. eccl. sect. 1. pag. 275. Tom. IV.* (*f*) *H. Hilarius ad Phil. Cyprii chron. eccl. graec. pag. 368. seq.*

occupatumque epiſcopatum Menembaſienſem; & IOANNICI, qui ob raptam patriarchalem dignitatem diris devoti & paulo poſt tympanici reperti ſunt. Neutrum tamen abſolutum tradit. Sed ipſum audiamus, de ARSENIO ita ſcribentem: (a) Ἀμὴ, ὡς ἐλογίαζε δὲν ἐπέτυχε: καὶ ἀπὸ τὸ πικρὸν τοῦ ἀπέθανε, ἀμετανόητος, εἰς τὸν ἀφορισμόν: καὶ ὑπῆγεν ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, ὅπου τοῦ Νεστορίου τοῦ αἱρετικοῦ, καὶ τῶν ἐπιλοίπων καὶ εὑρέθη μετὰ καιρὸν, τὸ ἐλεεινὸν αὐτοῦ κορμὶ μαῦρον τυμπανιαῖον. Καὶ ἦτον φόβος καὶ τρόμος, νὰ τὸ ἰδεῖ ἄνθρωπος. *Veruntamen nihil eorum, quae ſperaverat, obtinuit: ſed aegritudine animi victus mortuus eſt, nulla poenitentia acta in excommunicatione, abiitque anima eius, quo Neſtorii & aliorum haereticorum: ac repertum eſt aliquando poſt miſerabile corpus eius nigrum, ad modum tympani turgens, ita, ut omnes, qui id videbant terrerentur & contremiſcerent.* Eadem fere de Ioannico hunc in modum narrat: (b) Καὶ εἰς ὀλίγον καιρὸν ἀπέθανε κακῶς καὶ ὀδυνηρῶς: καὶ εὑρέθη ἀφορισμένος, τυμπανιαῖος ἔοντας ὅπου ἀφορίσθη παρὰ τῶν τεσσάρων πατριαρχῶν, ὡς παράνομος, καὶ ἐκολάσθη ὁ ταλαίπωρος. *Nec multo poſt malus male & cum dolore periit, anathemateque conſtrictus, ceu tympanum inflatus, repertus eſt: quandoquidem a quatuor patriarchis propter iniquitatem ſuam, eccleſiae conſortio ſpoliatus fuerat. Ita poenas merito ſuo dignas miſer dedit.*

§. V.

Nec alii deſunt auctores, qui ſe talia vidiſſe perhibent. Inprimis acriter pro hoc prodigio contendit CHRISTOPHORVS ANGELVS, (c) gente graecus, qui Anglos rogat, ut rem a mercatoribus ſuis expiſcentur, utpote qui veteris Patrae, Theſſalonicae, Conſtantinopoli & Alexandriae facile rei experimentum capere poſſent. Sed & IOSAPHAT

 LOGO-

(a) *Malax. ap. Cruſ. Turco-Graec.* lib. 2. p. 156. (b) Ibid. p. 156.

(c) *Chriſt. Angel. Enchirid. de ſtatu hodierno Graecor. c. 25. p. 546. ubi Conf. Conſtant. Ehelavii comment.*

LOGOTHETA, (*a*) itidem graecus, qui anno 1664. Noribergae cum ARNOLDO aliquamdiu versabatur, asseveranter professus est, *se quater vel quinquies velut oculatum testem ipsum interfuisse, & praesentem vidisse falsi testimonii confictores, qui ab episcopo in publica, quod mireris via, coram omni hominum coetu solemni formula ob furtum, vel aliud crimen negatum commonefacti post mortem τυμπανιαῖοι extiterint, & cadavera istorum tympani more turgentia, atque tam nigra, quam vestis, qua tum homo induebatur.* Anno 1693. oras nostras lustravit METROPHANES TZITZILIANVS Praepositus, & ARCHIMANDRITA monasterii ἀδελφόςου παρθενομάρτυρος in Euboea, qui a TENZELIO (*b*) de hoc prodigio interrogatus, illud novo exemplo a se in Zante insula viso stabilivit. Abierat nimirum ad plures matrona nobilis, sed excommunicationis fulmine percussa. Quam sepultam circumactis octo annis secutus est filiorum unus, graecorum more matris monumento inferendus. Recluso igitur sepulcro cadaver matris sese obtulit integrum nullaque sui parte laesum, adeo ut nec coma, nec vestes putredinem passae viderentur. Ipsum tamen corpus nigrum & tympani instar tumens apparuit, recitata demum ab episcopo solenni absolutionis formula statim dissipatum, & in cineres resolutum. Haec ARCHIMANDRITA ille, cui iungemus LEONEM ALLATIVM (*c*) de hoc ritu alias non adeo praeclare sentientem. Is vero, *ego* inquit, *nihil tale uspiam in Graecia vidi. Audivi tamen saepius ab Athanasio, Imbri metropolita, homine frugi, & qui rem factam mendacio non contaminasset, cum Ihasi in Moldavia moraretur in regione theologi extra urbem in ecclesia S. Georgii, exoratum a civibus, ut supra cadavera, quae ibidem pleraque conspiciebantur indissoluta, excommunicationis absolutionem recitaret, morem gessisse; neque dum finita absolutione cadavera ea in pulverem abiisse. Referebat idem Athanasius, Constantini cuiusdam, cognomento Rezepil, qui ex Turca*

(*a*) *Arnold. Epist. ad Eliam Veiel. annexa Veiel. defens. adv. Allat.*
(*b*) *Tenzel. dial. menstr. p. 637. an. 1693.* (*c*) *Leo Allat. Ep. citat. ad Zachiam de graec. opinat. p. 151.*

Turca Christo nomen dederat, quod vitam viveret omnibus flagitiis contaminatam; excommunicati corpus tumulatum fuisse in ecclesia SS. Petri & Pauli nationis graecorum Neapoli & per plures annos indissolutum mansisse, ab eodem Athanasio & aliis Metropolitis duobus, Athanasio Cypri & Chrysantho Lacedaemonio benedictione subactum, ut alia mortuorum cadavera pulverem factum. Sed nescio an ullum exemplum magis portentosum sit eo, quod idem paullo post memoriae prodidit ALLATIVS. Ex isto enim patet absolutionem etiam a sacerdote apostata & christianae religionis desertore in mortuum excommunicatum pronunciatam tantundem valuisse, ac tympaniticum corpus aeque facile solvisse. Audiamus & hic ipsum ALLATIVM: (*a*) *dum Raphaël in patriarchatu praesidebat, qui alium excommunicaverat, postea compulsu daemonis Christum eiurat, excommunicati licet christiani demortui cadaver mansit indissolutum. De eo certior factus patriarcha, accersitum Turcam, qui excommunicaverat, monet, ut absolutionem impertiatur. Primum ille renuere, factum detestari; nihil esse Turcis cum christiana religione commune, dicere; quare christiani christianum absolverent. Cum vero pertinacius exoraretur, obedit & absolutionem super excommunicatum recitat; (oculatum se testem fatetur, qui perhibet) prope finem absolutionis cadaveris tumor cessat, & in cineres omnia convertuntur. Rei novitate Turca attonitus ad magistratum ocyus advolat, rem uti facta est narrat, edicit omnibus veram religionem christianam, quam ipse per summum nefas deseruerat, eam se denuo amplecti, Mahumedanam detestari. Monetur a Turcis ut sapiat, ne tormentis se subiiciat: ille, se christianum velle mori, contendit. Quid plura? pertinacem condemnant; ducitur ad supplicium, & christianam religionem praedicans, morti, summo supplicio mactatus deditur.* Haec ALLATIVS Athanasii Imbri metropolitae auctoritate enarrat, quem vero fidem tam inauditi miraculi praestare oportebit. plura exempla dabunt FRANCISCVS RICHARDVS, (*b*) Iesuita

(*a*) *Allat. l. c.* (*b*) *Fr. Richard. de Insula San-Erini. cap. 15. & in scuto fid. part. 2. c. 8. §. 3. & part. 1. p. 335.*

Iesuita gallus, BZOVIVS, (a) aliique inprimis graecorum scriptores, quos evolvisse non poenitebit.

§. VI.

Verum enim vero omnia haec exempla non nisi id stabiliunt, quod excommunicatorum corpora ἀδιάλυτα eo usque perseverent, donec solenni ritu absolutionem impetrant. Cum vero fabulae ut fieri solet fabulis addantur, & constans graecam plebem opinio invaserit, eiusmodi cadavera malo genio induta & vesci, & cursitare, & alios homines terrere: videbimus, an & eiusmodi exempla aliquando observata sint. Hic vero notari praecipue meretur, quae nobis ex epistola quadam anno 1575. ad D. HAILANDVM scripta servavit MARTINVS CRVSIVS. (b) *In sabbato pentecostes Turcae combusserunt graecum, biennio ante defunctum: quod vulgo crederetur noctu sepulcro egredi, hominesque occidere. Alii autem veram causam perhibent, quod quindecim pluresve homines, spectrum eius videntes mortui sint. Sepulcro extractus, consumta carne cutem ossibus adhaerentem integram habuit.* Addimus huic ea, quae SOPHRONIVS quidam, CALOGER Cretensis qui apud Smirnenses in magna auctoritate & sanctitatis opinione vixit, Dno. de RICAVT (c) retulit, & iurato, se visa narrare, asseveravit, laudatus vero RICAVTVS hunc in modum recensuit: *novi ego*, inquit SOPHRONIVS, *hominem, qui ob admissum crimen fuga se in Miletum insulam proripuerat, atque hoc pacto quidem magistratus animadversionem, non vero excommunicationis dira evitaverat fulmina, quae perpetuos in conscientia stimulos reliquerunt. Infelici igitur morte, antequam expiari posset, extincto, & loco solitario humato, nulla officia parentalia more ecclesiae persolvebantur, dolentibus amicis & cognatis, illum in misera hac conditione deferi. Interea insulares quavis fere nocte portentosis subinde umbris larvalibus dirisque noctium occursaculis se terreri querebantur, nec dubium illis erat, quin excommunicati hominis lemures, tantas tragoedias agerent.*

(a) *Bzov. ad ann. 1481. n. 19.* (b) *Cruf. Turco-Graec. lib. 7. p. 490.*
(c) *Ricaut, l. c. p. 59.*

agerent. Nec mora tumulum ſuffodiunt, & cadaver non putredine conſumtum, ſed colore vivido conſpicuum, nervos omnes ſanguine copioſo turgentes, feretrum pomis, nucibus, uvis aliisque frugibus tempeſtivis impletum reperiunt. Conſultum igitur in medium, quid facto opus eſſet: Calogeri id ſibi agendum putabant, quod vulgo in eo caſu fieri ſolet, ut nimirum corpus excommunicati in aliquot partes diſſectum in fervente vino coqueretur. Putabant enim hoc pacto & diabolum facillime expelli, & διάλυσιν certo ſecuturam. Sed obſtiterunt cognati, animae potius quam corpori conſultum cupientes, & hinc multis precibus clerum eo adduxere, ut executio conſilii, quod ceperant, differretur, ſperantes, fore, ut diploma abſolutionis patriarchae manu ſignatum, aere ſuo redimant. Differtur diſſectio corporis, & excommunicationis remiſſio Conſtantinopoli quaeritur, monito tamen patriarcha, ut diem, horam, imo & ſi fieri poſſet, horarum ſcrupulos ſedulo in diplomate adſcriberet. Interea cadaver, quod ruſtici in agro diutius ferre nolebant, in templo deponitur, quotidie miſſa canitur, & Deus indefeſſis precibus oratur, ut peccatori huic in gratiam recepto διάλυσιν concederet. Factum igitur eſt die quodam, me ſacra peragente, ut poſt multas preces, oblationes & vota, ingens ſubito tumultus in feretro audiretur, quo omnes, qui in eccleſia erant, magnopere terrebantur. Recluſo feretro, corpus plane diſſolutum & in cineres diſſipatum apparuit, non ſecus ac ſi iam ſeptem annos in terra iacuiſſet. Notavimus etiam horam, quam ubi cum illa qua diploma ſignatum fuerat contulimus, utramque prorſus convenire obſervavimus. Haec ille CALOGER, quae licet prolixiora, adſcribere tamen minus piguit, tum quod a viro ſpectatae fidei proficiſcuntur, tum quod de pluribus circumſtantiis alibi non obviis nos admonent. Hinc licet rem non extra omnem controverſiae aleam ponant, ſatis tamen exinde diſcimus, quantum excommunicationi tribuant. Ceterum ipſe Dominus RICAVT (a) de hoc prodigio certior fieri cupiens, ſepulcro adfuit, in quo excommunicatus iacere & ruſticos noctu terrere dicebatur. Sed tantum abeſt, ut

(a) *Ricaut, l. c. p. 60.*

Iesuita gallus, BZOVIUS, (*a*) aliique inprimis graecorum scriptores, quos evolvisse non poenitebit.

§. VI.

Verum enim vero omnia haec exempla non nisi id stabiliunt, quod excommunicatorum corpora ἀδιάλυτα eo usque perseverent, donec solenni ritu absolutionem impetrant. Cum vero fabulae ut fieri solet fabulis addantur, & constans graecam plebem opinio invaserit, eiusmodi cadavera malo genio induta & vesci, & cursitare, & alios homines terrere: videbimus, an & eiusmodi exempla aliquando observata sint. Hic vero notari praecipue meretur, quae nobis ex epistola quadam anno 1575. ad D. HAILANDUM scripta servavit MARTINUS CRUSIUS. (*b*) *In sabbato pentecostes Turcae combusserunt graecum, biennio ante defunctum: quod vulgo crederetur noctu sepulcro egredi, hominesque occidere. Alii autem veram causam perhibent, quod quindecim pluresve homines, spectrum eius videntes mortui sint. Sepulcro extractus, consumta carne cutem ossibus adhaerentem integram habuit.* Addimus huic ea, quae SOPHRONIUS quidam, CALOGER Cretensis qui apud Smirnenses in magna auctoritate & sanctitatis opinione vixit, Dno. de RICAUT (*c*) retulit, & iurato, se visa narrare, asseveravit, laudatus vero RICAUTUS hunc in modum recensuit: *novi ego*, inquit SOPHRONIUS, *hominem, qui ob admissum crimen fuga se in Miletum insulam proripuerat, atque hoc pacto quidem magistratus animadversionem, non vero excommunicationis dira evitaverat fulmina, quae perpetuos in conscientia stimulos reliquerunt. Infelici igitur morte, antequam expiari posset, extincto, & loco solitario humato, nulla officia parentalia more ecclesiae persolvebantur, dolentibus amicis & cognatis, illum in misera hac conditione deseri. Interea insulares quavis fere nocte portentosis subinde umbris larvalibus dirisque noctium occursaculis se terreri querebantur, nec dubium illis erat, quin excommunicati hominis lemures, tantas tragoedias agerent.*

(*a*) *Bzov. ad ann. 1481. n. 19.* (*b*) *Crus. Turco-Graec. lib. 7. p. 490.*
(*c*) *Ricaut. l. c. p. 59.*

agerent. Nec mora tumulum suffodiunt, & cadaver non putredine consumtum, sed colore vivido conspicuum, nervos omnes sanguine copioso turgentes, feretrum pomis, nucibus, uvis aliisque frugibus tempestivis impletum reperiunt. Consultum igitur in medium, quid facto opus esset: Calogeri id sibi agendum putabant, quod vulgo in eo casu fieri solet, ut nimirum corpus excommunicati in aliquot partes dissectum in fervente vino coqueretur. Putabant enim hoc pacto & diabolum facillime expelli, & διάλυσιν certo secuturam. Sed obstiterunt cognati, animae potius quam corpori consultum cupientes, & hinc multis precibus clerum eo adduxere, ut executio consilii, quod ceperant, differretur, sperantes, fore, ut diploma absolutionis patriarchae manu signatum, aere suo redimant. Differtur dissectio corporis, & excommunicationis remissio Constantinopoli quaeritur, monito tamen patriarcha, ut diem, horam, imo & si fieri posset, horarum scrupulos sedulo in diplomate adscriberet. Interea cadaver, quod rustici in agro diutius ferre nolebant, in templo deponitur, quotidie missa canitur, & Deus indefessis precibus oratur, ut peccatori huic in gratiam recepto διάλυσιν concederet. Factum igitur est die quodam, me sacra peragente, ut post multas preces, oblationes & vota, ingens subito tumultus in feretro audiretur, quo omnes, qui in ecclesia erant, magnopere terrebantur. Recluso feretro, corpus plane dissolutum & in cineres dissipatum apparuit, non secus ac si iam septem annos in terra iacuisset. Notavimus etiam horam, quam ubi cum illa qua diploma signatum fuerat contulimus, utramque prorsus convenire observavimus. Haec ille CALOGER, quae licet prolixiora, adscribere tamen minus piguit, tum quod a viro spectatae fidei proficiscuntur, tum quod de pluribus circumstantiis alibi non obviis nos admonent. Hinc licet rem non extra omnem controversiae aleam ponant, satis tamen exinde discimus, quantum excommunicationi tribuant. Ceterum ipse Dominus RICAVT (a) de hoc prodigio certior fieri cupiens, sepulcro adfuit, in quo excommunicatus iacere & rusticos noctu terrere dicebatur. Sed tantum abest, ut

 cadaver

(a) *Ricaut, l. c. p. 60.*

cadaver tympani instar turgidum aut esculenta ulla repererit, ut nihil uspiam apparuerit, nisi quod vulgo in hominis ante septem dies sepulti feretro solet reperiri. Plura quidem exempla adducit LEO ALLATIVS veluti illud, quod a NICEPHORO CONSTANTINOPOLITANO in Constantino Copronymo THEOPHANE & CEDRENO. refertur, aliudque a se visum. Sed fallor ego, aut ea prorsus sunt ἀπροσδιόνυσα. NICEPHORVS enim & ceteri auctores L. C. non nisi hoc unum indicant, quod isto tempore multa spectra oberrarint, quae viatores peregrinorum habitu multis modis exagitarint, futura praedixerint, nonnunquam etiam homines intra aedes & parietes suas suspenderint; mortuos vero illos excommunicatos aut absolutos fuisse plane silent. Ipse vero ALLATIVS puero se Chii effossum ait cadaver hominis adspectu horridum, statura grandiore, nullis vestibus, pelle distenta, subnigra, turgente, facie pilis vestita, ore hiante, dentibusque candidis, quod tam durum fuerit, ut ictus omnes lapidum, sphaerarum lusoriarum, testarum imo & trabium non solum illaesum exceperit, sed & cum strepitu repercusserit. Verum an hoc excommunicati corpus fuerit, aut daemonibus praebuerit habitaculum, aut eiusmodi lusus dederit, quos ipse factos alibi esse docet, non addit. Sane non absolutione solenni resolutum esse hoc cadaver, sed tantum sepulcrum clausum fuisse commemorat. Quis igitur dubitet omnia haec ita esse comparata, ut solent omnes de spectris historiae, quae a plebe in maius augeri, multisque laciniis amplificari solent.

§. VII.

Quod si quis quaerat: num etiam alibi terrarum, ubi graecae religionis ritus observantur, ea persuasio homines occuparit: ei libenter fatebor me id ignorare. Sane, qui de Armeniis, Maronitis, Coptis, Aethiopibus, Russis aliisque gentibus aliquid memoriae prodiderunt, id unice solent observare, excommunicationem more graecorum servari. De Armeniis

RICAV-

RICAVTVS: (*a*) *excommunicatione haec ſicut & graeca eccleſia miſere abutitur: ſacerdotes enim ex illa magnam redituum ſuorum partem hauriunt, ſiquidem nullo ſacro officio niſi mercede conducti defunguntur.* De Aethiopum excommunicatione tacet IOB. LVDOLFVS, (*b*) qui alias omnes eorum ritus curioſe ſatis deſcripſit. In Abtelifat tamen, h. e. canonibus apoſtolicis, quos magni aeſtimant, ſequens inter alios canon apparet: *ſi fuerit aliquis, qui communionem habuerit cum ſacerdote excommunicato: aut diacono relegato propter blaſphemiam, quam protulit, aut aliud quodpiam maleficium; & oraverit cum eo, ſicuti orare ſolemus cum ſacerdotibus, idque occulte; expellatur ex eccleſia, arceatur a participatione euchariſtiae.* Ex quibus verbis liquido ſatis conſtat, Aethiopes excommunicationem non ulterius extendere quam ad communionem eccleſiaſticam. De effectu vero eius miraculoſo magnum ubique eſt ſilentium. Dubito etiam an Alexandrina eccleſia tam portentoſum excommunicationi ſuae tribuat effectum, quicquid videatur CHRISTOPHORO ANGELO (*c*) Anglos Alexandriam ableganti, ubi rei experimentum capere liceat.

§. VIII.

Quod igitur in eccleſia graeca non niſi ſero obſervatur, miraculum, illud Romana ante plurima ſecula iactavit. Imo non videor mihi errare, ſi ex romana eccleſia graecos hanc ſuperſtitioſam ſententiam primum accepiſſe dixero. Antiquiora enim ſunt exempla, quae in occidente contigiſſe feruntur, quam omnia, quae a graecis circumferri diximus, quod liquido conſtabit, ſi prius, quid GOARVS (*d*) hanc in rem adferat, expenderimus. Tentavit equidem ille etiam hac in re graecos cum pontificiis conciliare, eundemque effectum maledictum in romana eccleſia non ſemel notatam affirmat. Sed exempla quibus hoc conficere vult, parum ad rem pertinent.

(*a*) *Ricaut in deſcript. hodiern. eccleſ. Armen. cap. 9. p. 91.*
(*b*) *Iob. Ludolf. Comment. ad hiſt. Aeth. l. 3. c. 4. n. 30. p. 331.*
(*c*) *Angel. Enchirid. de ſtatu hodierno graec. c. 25.* (*d*) *Goar. Euchol. p. 689.*

nent. Provocat enim ad BENEDICTI XIII. Antipapae, sive PETR. de LVNA cadaver, quod post infelicem e vita discessum Igluecam, Arragoniae oppidum translatum, & intra arcem loco profano repositum, usque hodie, CIACCONIO teste, incorruptum perseveret, ideo quod a Concilii Constantiensis patribus excommunicationis fulmine ictus, nullum cum ecclesia reconciliationis argumentum in morte dare voluerit. Sed quid Benedicti hoc exemplum ad excommunicationem graecanicam, cum neque corporis ad modum tympani tumentis, nec διαλύσεως per absolutionem sacerdotalem factae mentio iniiciatur. Vt taceam totam narrationem ipsis pontificiis suspectam videri, caussisque adscribi naturalibus. NATALIS enim ALEXANDER: (*a*) *corpus eius*, inquit, *a* IOHANNE *de* LVNA, *eius nepote, Illuccum, Aragoniae oppidum, translatum, sacra sepultura caret, incorruptum nihilominus perseverans, si qua vulgi rumoribus fides: quod si ita res habeat, naturali causae, quamvis ignotae, non miraculo tribuendum.* Eiusdem generis est alterum, quod a GOARO ex P. MAFFEIO (*b*) adfertur exemplum, quod tamen ipsius verbis repetemus: *Anno 1509. Albuquerico Indiae prorege miles navalis turbae socius expiravit, qui in mare proiectus ingentem terrorem omnibus attulit: noctu quippe infra sentinam, pulsus frequentes exaudiri coepti, quem ad strepitum cum arrepta scala vigiles descendissent, implexum carinae sub ipso gubernaculo defuncti militis corpus offenderunt. Re ad navarchum delata dubium non fuit, quin cadaver translatum in littus humo contegerent: quo facto, postridie super ipsum sepulcrum rursus apparuit. Ea re attoniti cuncti: at Franciscus quidam monachus sagaci coniectura suspicatus est, hominem aliquo interdicti vel anathematis vinculo constrictum e vita excessisse, atque in terram egressus, sanctissimi viri Benedicti abbatis exemplo, e pontificia formula conceptis verbis, animam mortui rite expiauit, unde reddita pace mortuo, eo mysterio vaga ossa tandem in suo tumulo quievere.* Haec ex MAFFEIO GOARVS, sed non magis ad rem apposite

(*a*) *Histor. eccl. sec. 15. p. 3. tom. IIX.* (*b*) *P. Maffeius l. 5. hist. ind. p. 231. sq.*

ſite peroravit. Quid enim ſimile hoc prodigium habet excommunicationi Graecanicae? Militem nec mare nec tellus in ſe tuliſſe fertur: cum Graeci omnino in terra ſed incorrupti & τυμπανιαῖοι maneant. Franciſcani expiatione non niſi illud beneficium mortuo acceſſit, ut in ſuo tumulo quieſceret, cum Graeci ſtupendo miraculo iſta formula ſua totum corpus uno momento in cineres ſolvere dicantur. Steriliorem igitur fuiſſe dixeris GOARI in hiſtoria media notitiam, cui exempla non magis appoſita in mentem venerunt.

§. IX.

Antiquiſſimum igitur, cuius in ſcriptoribus medii aevi Latinis mentio fit, eſt illud, quod iam ſeculo XI. Norvegia vidit, & ADAMVS BREMENSIS (a) memoriae prodidit, his verbis: *Nam & ipſe Pontifex* (Bremenſis, Libentius) *piratas, qui epiſcopatum vaſtabant, anathemate damnavit. Quorum unus in Norvegia deficiens, per annos ſeptuaginta integro corpore permanſit, usque ad Dni. Adalberti tempora archiepiſcopi, quando Alwardus epiſcopus illuc veniens defunctum vinculo excommunicationis abſolvit, & mox cadaver in cinerem eſt ſolutum.* Eandem rem additis & mutatis nonnullis circumſtantiis refert ALBERTVS STADENSIS. (b) *Adalwardus epiſcopus a Rege Haroldo invitatus, venit in Nordmanniam, ibique corpus cuiusdam viri, qui ante annos LX. defunctus eſt, nec omnino putreſcere potuit, facta abſolutione reconciliationis, mox in pulverem redegit. Erat enim ille homo quondam a Libentio archiepiſcopo propter piraticam excurſionem excommunicatus, ſicut ipſi Adalwardo per viſionem revelatum eſt.* Haec ALBERTVS, quem exſcripſit Auctor incertus hiſtoriae archiepiſcoporum Bremenſium a LINDENBROGIO (c) editus, & mutatis aliquantulum verbis HENR. WOLTERVS. (d) Quis igitur non videt, quam ſimile hoc ſit exemplum illis, quae in eccleſia Graeca contigiſſe

(a) *Adam. Bremenſ. lib. 2. hiſt. eccleſ. cap. 24. pag. 22.* (b) *Alb. Stad. ad ann. 1050. pag. 233. ſeq.* (c) *Lindenbrog. pag. 22. ſcript. rerum ſeptentrion.* (d) *Wolter. Chron. Brem. pag. 40. ap. Meibom. Tom. I. rer. Germ.*

giſſe perhibentur? Tale etiam eſt, quod ſeculo XIII. Angliam vidiſſe autor eſt MATTHAEVS PARISIENSIS, (a) niſi quod de abſolutione facta nihil memoriae prodidit. Vixerat ſub iſta tempora Comes quidam WILLIELMVS, Marſchallus magnus, vir ſtrenuus & manu fortis, qui in Hibernia bellum dextro Marte gerens epiſcopo cuidam aliquam agrorum partem, (duo maneria vocat auctor,) eripuerat, ſaepiusque monitus cum reſtituere nollet, excommunicationis notam incurrerat. Neque multo poſt comes ad plures abiit & in novo templo Londini invenit conditorium. Epiſcopus, re comperta ad HENRICVM III. Regem Angliae contendit, raptum ſibi auctoritate regia reſtitui poſtulat; ita conſultum fore defuncto adſerit, alias abſolutionem nequaquam impetraturo. Miſertus Rex cariſſimi ſibi comitis, ſatisfactionem pollicetur, eumque quantocyus abſolvi iubet. Nec mora epiſcopus ad ſepulcrum accedit, & Rege praeſente ita infit: *O Wilhelme, qui hic iaces ſepultus, vinculis excommunicationis irretitus, ſi ea quae iniurioſe abſtuliſti eccleſiae meae, per regem, vel per haeredem tuum, vel per aliquem tuorum propinquorum, vel amicorum cum competente ſatisfactione reſtituantur, abſolvo te: alioquin ſententiam ipſam confirmo, ut tuis ſemper peccatis involutus, in inferno maneas condemnatus.* Hoc immoderato epiſcopi rigore offenſus Rex ſecreto alloquio Wilhelmum filium defuncti natu maximum obteſtatur, daret hoc paternae ſaluti terramque ablatam reſtitueret. Hic vero negavit ſe redditurum, quod parens belli iure acquiſitum ad haeredes iuſte transmiſerit nec unquam conceſſurum, ut conditio ſua redderetur deterior: bene ſe ſperare de parentis anima, quae parum iam exhorreſcat ad bruta deliri ſenis fulmina, in ipſum Veiovis iſtius caput reditura, in eamque ſententiam & reliqui fratres reſponderunt. Repulſam igitur paſſus epiſcopus mirari coepit filiorum contumaciam, & ad regem admiſſus: *quod dixi*, inquit, *dixi, & quod ſcripſi indelebiliter ſcripſi. Stat enim ſententia. Afflicta eſt a domino poena malefactoribus, & quae in pſalmo ſcribitur maledictio,*

(a) *Matth. Pariſ. Hiſt. Anglic. pag. 666.*

dictio, comiti Wilhelmo imponitur onerosa. In generatione una delebitur nomen eius, & filii eius extorres erunt illius dominicae benedictionis: crescite & multiplicamini. Moriunturque eorum aliqui morte lamentabili, & haereditas eorum dissipabitur. Et haec omnia, domine mi rex, in vita vestra, imo in adhuc florente aetate videbitis. Non vano hoc augurio dixit episcopus, filiis quippe omnibus, quorum quinque reliquerat, in ipso flore aetatis properante fato exstinctis. Caruit interim absolutione defunctus, annisque *aliquot* circumactis, (ceu pergit Parisiensis) *inventum est corpus saepe dicti comitis, quod erat insutum corio taurino integrum, putridum tamen, & prout videri potuit detestabile.* Sic mira haec excommunicationis efficacia luculento exemplo comperta est, sed absolutionis, quanta sit, episcopo tam inexorabili, ab Anglis cognosci non potuit.

§. X.

Quamvis igitur Romana in ecclesia hoc prodigium prius, quam in Graeca auditum sit, posterioribus tamen seculis tantum de eo fuit silentium, ut veluti in Graeciam migrasse haec episcoporum potentia videretur. Hinc & nos relicta ecclesia Romana in Graeciam revertimur. Diximus supra, certam quandam formulam absolutionis, seu ut ALLATIVS loquitur, *varias deprecationes & dicendi formulas super cadavera* pronunciandas esse, si effectus sperari debeat. Quae quales sint, forte scire quis voluerit. Maximus patriarcha, qui mulieri a GENNADIO excommunicatae quietem restituit, in *Turco-Graecia* (a) dicitur ποιῆσαι λειτουργίαν καὶ ἀνάγνωσιν εὐχῶν συγχωρητικῶν, *fecisse rem divinam & obtulisse preces absolutorias*, idque εὐλαβῶς καὶ μετὰ δακρύων. *Sancte nec sine lacrymis.* Idem quaesitus, ad quod tempus futurum esset, ut dissolutio illius cadaveris & dissipatio veniam a Deo consecuti fieret, respondit ὅτι ἐγὼ ψάλλω εἰς αὐτὸ ἀκολουθίας: ὅπου ἔχομεν περὶ τῶν ἀφορισμένων, καὶ λέγομεν καὶ εὐχὰς καθ' ἡμέραν καὶ ὅταν τελειώσομεν τὰς ἀκολουθίας καὶ τὰς εὐχάς: μέλλει νὰ λειτουργήσωμεν

(a) *Lib. 1. pag. 27. 28.*

γνώσωμεν συγχωρητικὸν γράμμα εἰς αὐτήν. *Canam ego super illo consequentias, quae nobis praescriptae sunt de excommunicatis, & quas quotidie preces habemus, recitabo. Quibus utrisque peractis: scriptum, quo mulieri sua peccata remittantur, ad liturgiam recitabimus.* (*a*) Paucis vero interiectis, sacra peracta hoc modo describuntur: καὶ λειτουργίας γενομένης, μετὰ παρρησίας μεγάλης: συναγμένων ἀρχιερέων, διακόνων, καὶ παντὸς τοῦ χριστωνύμου λαοῦ: καὶ ἱσαμάτησιν ὁ πατριάρχης μετὰ τὸ τέλος τῆς λειτουργίας, μετὰ κατανύξεως, καὶ δακρύων πολλῶν: καὶ ἀνέγνωσε τὸ συγχωρητικὸν γράμμα αὐτῆς ὅπου τὸ ἔγραψεν αὐτὸς ὁ πατριάρχης μετὸ ἴδιον του χέρι. *Tum liturgia frequentissimo conventu Pontificum, Diaconorum, omnisque Christiani populi facta: stat patriarcha post eius finem, intima affectione animi, multis cum lacrymis, literasque absolutionis illius, quas ipse sua manu perscripserat, recitat.* Alibi, omisso officio liturgico, solae requiruntur preces & absolutionis formula, alibi praeterea adduntur oblationes aliaeque eiusmodi ceremoniae. CHRISTOPHORVS ANGELVS (*b*) ait, excommunicati adversarium accedere sacerdotem, eumque rogare, ut excommunicatum absolvat. Hunc vero sacro habitu indutum legere τὰς προσευχάς, *orationes aliquas*, ad quas adversarius excommunicati respondeat: ὁ Θεὸς συγχωρήσει αὐτῷ. *Deus erit illi propitius.* Quo facto excommunicati corpus statim in cineres resolvatur. Sic nec in modo quidem absolvendi consentiunt vani homines. Si tamen euchologia respiciamus, videtur res eo omnis redire.

1. Recitantur consequentiae de excommunicatis. Ne vero ignoremus, quid per ἀκολουθίας intelligendum sit, merito huc referenda verba IAC. GOARI: (*c*) *Orationum Graecarum hae τάξεως, nonnullae διατάξεως, aliae denique ἀκολουθίας appellationem proprio sibi iure promeruerunt. Quarum titulus est τάξις, illae ordinem seriemque rituum ecclesiasticorum ostentant: διατάξεις sonant νομικόν quid, edicta nempe*

(*a*) *Id. lib. 2. Turco-Graeciae, pag. 135.* (*b*) *Angelus cap. 25. p. 524. seq.*
(*c*) *Goar, not ad Euchol. pag. 11.*

nempe sanctionesque maiorum, a quibus τάξεις ritus miro quodam ordine in ecclesiam sunt inducti vel restituti, & demum ἀκολουθία preces ipsas & officia quorum partes bene disposito & ordinato nexu inter se cohaerent, seque consequuntur, quasi hac ratione sequentiae & sequela dicerentur, manifestas.

2. Peragitur sacra liturgia, quo vocabulo missae intelligunt officium, multis ceremoniis, (prout ecclesia Graeca ceremoniarum est amantissima,) oneratum.

3. Ubi ad offertorium deventum: recitantur preces pro excommunicatis, paullo post repetendae. Et denique

4. Diploma *συγχωρητικὸν* vel defuncto cadaveri imponitur, vel recitatur, idque a pontifice ipso conscribendum tam necessario est, ut etiam in provinciis si quid tale contingat, prius diploma eius expetendum sit. Sicuti ex historia a DNO. RICAVT relata constat. Mireris vero, *Athanasium Imbri metropolitam* in relatione *Allatiana* ista sine diplomate praestitisse. Inde enim non immerito suspicari mihi videor, pontificulos graecos ad augendos suos reditus, quos admodum tenues habent, sibi hoc ius arrogasse.

§. XI.

Haec igitur omnia quo pacto fiant, videndum paulo propius. Singularem quidem absolutionis formulam in lucem edidit Dnus de la CROIX, (*a*) aliamque debemus CHRISTOPHORO ANGELO supra descriptam. Sed utraque non magni momenti videtur. Quamobrem non immerito his praeferendus videtur IACOBVS GOARVS, (*b*) qui officia ecclesiastica in euchologio Graeco omnia collegit, quae hic repetere eo minus pigrabimur, quo rarior hic liber hodie habetur. Primo igitur preces a pontifice recitandae ita se habent:

(*a*) *de la Croix loc. cit.* (*b*) *Goar. loc. cit. pag. 684. seqq.*

Ευχαὶ συγχωρητικαὶ

εἰς πᾶσαν ἀρὰν καὶ ἀφορισμὸν εἰς τεθνεῶντα. Αναγινωσκομέναι παρὰ Ἀρχιερέως ἢ ὑπ' ἀνάγκης παρὰ πνευματικοῦ πνευματικοῦ, εἰ οὐ πάρεστιν ἀρχιερεύς.

Ἰστέον δὲ ὅτι αἱ παροῦσαι εὐχαὶ ἀναγινώσκονται οὕτως. Ἐν μὲν τῇ προσκομιδῇ ἀναγινώσκουσι ταύτας μετὰ κατανύξεως πάντες οἱ μέλλοντες ἱερουργεῖν ἱερεῖς. Ἐν δὲ τῇ μεγάλῃ εἰσόδῳ, ἐξελθόντων τῶν ἱερέων ἔξω τῶν καγγέλλων μετὰ τῶν ἁγίων, καὶ ἱσταμένων ὁ ἀρχιερεὺς κλίνας τὸ γόνυ ἐκφωνεῖ ταύτας μεγαλοφώνως μετὰ κατανύξεως καὶ δακρύων. Μετὰ δὲ τὸ τελειῶσαι αὐτὰς, ἀνιστάμενος δέχεται τὰ ἅγια.

Τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ τῇ σῇ ἀρρήτῳ σοφίᾳ δημιουργήσας τὸν ἄνθρωπον ἐκ τοῦ χοὸς, καὶ τοῦ τῇ ἀναμορφώσας εἰς εἶδος καὶ κάλλος, καὶ ἐξωραΐσας ὡς τίμιον καὶ οὐράνιον κτῆμα. Εἰς δοξολογίαν καὶ εὐπρέπειαν τῆς σῆς δόξης καὶ βασιλείας, διὰ τὸ κατ'

Orationes mortuo indulgentiam omnis interdicti & excommunicationis largientes a pontifice, vel eo absente a patre spirituali, id est, a confessore recitandae.

Sciendum, praesentes orationes in offertorio hoc pacto solere legi. Cum devotione & cordis compunctione legunt eas omnes concelebraturi sacerdotes. In magno vero introitu praecedentibus extra cancellos cum sacrorum donorum apparatu sacerdotibus, & (circa monumentum vel corpus) consistentibus: pontifex genibus flexis, & clara voce, cum lachrymis & cordis dolore eas profert. Illis autem terminatis, exsurgens prae sacris foribus sacra dona suscipit.

Dominum precemur.

Domine Deus noster, qui ineffabili sapientia tua e pulvere condidisti hominem, & venustate formaeque pulchritudine illi collata, ut conspicuam & coelestem creaturam, imaginem similitudinemque tuam prae se ferentem, ad gloriae tuae amplitudinem, & regni tui

κατ' εἰκόνα καὶ κατ' ὁμοίωσιν τοῦτον παραγαγεῖν· τὴν ἐντολὴν δὲ παραβάντα τοῦ σοῦ προστάγματος, καὶ μεταβαλόντα τῆς εἰκόνος, καὶ μὴ φυλάξαντα, καὶ διὰ τοῦτο, ἵνα μὴ τὸ κακὸν ἀθάνατον γένηται, φιλάνθρωπος κελεύσας τὴν κρᾶσιν καὶ μῖξιν ταύτην, καὶ τὸν ἄῤῥητον σου τοῦτον δεσμὸν ὡς Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν τῷ θείῳ βουλήματι ἀποτέμνεσθαι, καὶ διαλύεσθαι. Τὴν δὲ ψυχὴν ἐκεῖθεν χωρεῖν ἔνθα καὶ τὸ εἶναι προσελάβετο μέχρι τῆς κοινῆς ἀναστάσεως καὶ τὸ σῶμα εἰς τὰ ἐξ ὧν συνετέθη ἀναλύεσθαι. Διὰ τοῦτο δεόμεθά σου τοῦ ἀνάρχου πατρὸς καὶ τοῦ μονογενοῦς σου υἱοῦ καὶ τοῦ παναγίου καὶ ὁμοουσίου καὶ ζωοποιοῦ πνεύματος, ἵνα μὴ παρίδῃς τὸ σὸν πλάσμα καταποθεῖναι τῇ ἀπωλείᾳ. Ἀλλὰ τὸ σῶμα διαλυθῆναι εἰς τὰ ἐξ ὧν συνετέθη, τὴν δὲ ψυχὴν κατασκηνῶσαι ἐν τῷ χορῷ τῶν δικαίων. Ναὶ κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, νικησάτω σου τὸ μέτρον ἔλεος, καὶ ἡ φιλανθρωπία ἡ ἀνείκαστος καὶ

tui decorem exornasti: iussionem vero mandati tui praetergressum, imaginis forma immutata & non servata damnasti, ne malum eius perpetuum fieret, compositionem ideo sive mixtionem corporis eius, & mirandum animae corporisque nexum tu patrum nostrorum Deus coelesti nutu, humane disrumpi dissolvique mandasti; animamque, unde primum accepit esse, ad communem usque resurrectionem illuc discedere, corpus autem in ea, quibus compingebatur, resolvi: propterea rogamus te patrem omnis principii expertem & te unigenitum Dei filium, & te sanctissimum, consubstantialem, & vivificum Spiritum, ne creaturam tuam perditione consumi permittas: sed corpus in ea, ex quibus compositum fuerat, dissolvi, animam vero in iustorum coetu sedem reperire iubeas. Ita Domine Deus noster, evincat immensa tua misericordia, & incomparanda tua humanitas: & sive

καὶ εἴτε ὑπὸ κατάραν πατρὸς ἢ μητρὸς, ἢ τῷ ἰδίῳ ἀναθέματι ὑπέπεσεν ὁ δοῦλός σου οὗτος, ἢ τινα τῶν ἱερωμένων παρεπίκρανε, καὶ παρ' αὐτοῦ δεσμὸν ἄλυτον ἐδέξατο, ἢ ὑπὸ ἀρχιερέως βαρυτάτῳ ἀφορισμῷ περιέπεσεν, καὶ ἀμελείᾳ καὶ ῥαθυμίᾳ χρησάμενος, οὐκ ἔτυχε συγχωρήσεως, συγχώρησον αὐτῷ δι' ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου καὶ τὸ μὲν σῶμα αὐτοῦ ἐξ ὧν συνετέθη διάλυσον, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ἐν σκηναῖς ἁγίων, κατάταξον. Ναὶ κύριε ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ τῷ κορυφαίῳ πέτρῳ ταύτην τὴν ἐξουσίαν δοὺς, ὥστε τῶν ἁμαρτημάτων διδόναι τὴν ἄφεσιν, καὶ εἰπὼς· ὅσα ἂν δήσῃ καὶ λύσῃ ἵνα ὦσι δεδεμένα καὶ λελυμένα, καὶ δι' αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν ταύτην καὶ ἡμῖν τοῖς ἁμαρτωλοῖς χαρισάμενος, λῦσον τὸν κοιμηθέντα δοῦλον σου τὸν δεῖνα, τοῦ ψυχικοῦ καὶ σωματικοῦ ἁμαρτήματος, καὶ ἔσω συγκεχωρημένος, καὶ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι καὶ ἐν τῷ μέλλοντι, πρεσβείαις τῆς σῆς παναχράντου καὶ ἀειπαρθένου μητρὸς καὶ πάντων σου τῶν ἁγίων ἀμήν.

& ſive famulus hic tuus patris aut matris maledictionem, vel propriam etiam exſecrationem incurrit, aut ſacrorum virorum aliquem irritaverit, unde vinculo indiſſoluto implexus obiit, aut tandem in pontificis graviſſimam excommunicationem incidit, & incuria negligentiaque uſus, nondum veniam conſecutus eſſe dignoſcitur: tu, per me peccatorem, & indignum ſervum tuum, illi concedas indulgentiam: & corpus quidem eius in ea, ex quibus eſt compoſitum, reſolve, animam autem in ſanctorum tabernaculis colloca: ita Domine, qui coryphaeo Petro poteſtatem hanc contuliſti, ut peccatorem remiſſionem largiretur, praecipiens, ut ligata vel ſoluta iugiter permanerent, quique eandem quoque peccatoribus nobis facultatem diſpertiiſti: defunctum ſervum tuum N. omni animae corporisque peccato abſolve, & ſit in praeſenti & in futuro ſeculo abſolutus & condonatus. Interceſſionibus illibatae & perpetuae virginis matris tuae, & omnium ſanctorum Amen.

Εἰς

r facies
llo.

Εἰς πᾶσαν ἀργὶν καὶ ἀφορισμὸν] Gravior eſt ex graecorum ſententia *ἀργὶ* quam *ἀφορισμὸς*. *Αργὶ* enim dicitur excommunicatio, qua homo inemendabilis & in peccatis obduratus exemplo Pauli, Satanae traditur ad carnis affli&#x1d;ctionem, ut ſpiritus ſervetur in die Domini Ieſu. 1. Cor. V, 6. Nomen vero *ἀργῆς* ideo tulit, quod excommunicatio haec multis imprecationibus & diris maledictionibus abſolvitur, quod ſecus fit in *ἀφορισμῷ*, ubi peccator tantum ab euchariſtia, aut nonnunquam etiam a ſacro & humano conſortio arcetur, donec ſcilicet hoc fulmine territus ad frugem redeat.

Παρὰ ἀρχιερέων.] Ita vulgo appellantur patriarchae, archiepiſcopi & metropolitani, quos haec iura abſolvendi ad ſe traxiſſe ſuperiore §. diximus.

μετὰ κατανύξεως.] Hoc requiritur diſerte, ut pontifex preces has cum compunctione cordis fundat. Hinc in exemplis ſupra e Turco-Graecia allatis ſemper additur, pontificem *εὐλαβῶς καὶ μετὰ δακρύων ſancte nec ſine lacrymis*, item *μετὰ κατανύξεως καὶ δακρύων πολλῶν cum intima affectione animi & lacrymis* preces pro defuncta feciſſe.

Ἐν τῇ μεγάλῃ εἰσόδῳ.] Magnus introitus vocatur, quando in miſſa ſacra dona ad altare inferuntur, quod ſacra faciente pontifice magna cum pompa & apparatu cum cereis, flabellis, ſuffitibus aliisque ceremoniis fieri ſolet, cantoribus interim hymnum cherubicum pſallentibus.

Καὶ ἔστι ὑπὸ κατάραν πατρὸς ἢ μητρὸς.] Ex his & ſequentibus verbis colligere licet, non ſoli excommunicationi, ſed etiam exſecrationi paternae, & maternae, imo & propriae, ante mortem minus expiatae, tam horrendum tribui effectum: ita ut ſi ex. gr. aliquis paternam aut maternam maledictionem in ſe derivaverit, aut ipſe ſe diris devoverit, aut periurio polluerit, nec tamen abſolutione expiaverit crimen, non minus tympanicus poſt diſceſſum appareat, ac ſi a pontifice ſemotus & ſeparatus a ſacrorum communione ad plures abiiſſet. Quo

etiam ſpectare mihi videntur verba in ſequente oratione obvia: *& quaecunque verbo opere aut cogitatione perpetravit, ſoluto etiam impoſito* quibuscunque modis *vinculo, quo ſe ex ſubreptione*, aut alia quavis cauſa *implicuit, ſive etiam pontificis*, aut alterius cuiusvis authoritate *ex invidia & opere maligni ſpiritus in hanc miſeriam lapſus eſt, abſolve.*

Εὐχὴ ἑτέρα ὁμόια.

Τοῦ κυρίου δεηθῶμεν.

Δέσποτα πολυέλεε κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ὁ θεὸς ἡμῶν, ὁ τῷ κορυφαίῳ τῶν σῶν μαθητῶν, καὶ ἀποστόλων πέτρῳ τὴν σὴν οἰκοδομήσας ἐκκλησίαν, καὶ τὰς κλεῖς αὐτῷ δοὺς τῆς τῶν οὐρανῶν βασιλείας, καὶ τῇ σῇ χάριτι πᾶσαν αὐτῷ δοθῆναι θελήσας ἐξουσίαν, ὡς τε δεδεμένα εἶναι καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅσα παρ' αὐτοῦ δέδεται. Καὶ λελυμένα ὡσαύτως ἐν τῷ οὐρανῷ, ὅσα παρ' αὐτοῦ ἐν γῇ λέλυνται. Διαδόχους ἡμᾶς τοὺς εὐτελεῖς καὶ ἀναξίους, τῇ ἀφάτῳ σου φιλανθρωπίᾳ τῆς αὐτῷ δοθείσης ἐξουσίας καταξιώσας γενέσθαι ὥς τε καὶ ἡμᾶς οὕτω δεσμεῖν καὶ λύειν τὰ ἐν τῷ λαῷ σου συμβαίνοντα αὐτὸς πανάγαθε βασιλεῦ, δι' ἐμοῦ τοῦ ταπεινοῦ

Alia ſimilis Oratio.

Dominum precemur.

Miſericors Domine IEſu Chriſte, Deus noſter, qui diſcipulorum & apoſtolorum principi Petro, in aedificanda tua eccleſia claves regni coelorum tribuiſti, & poteſtatem omnimodam tua gratia ei conferri voluiſti, ut ligata eſſent in coelo, quaecunque ipſe ligaſſet in terris, & pariter in coelo ſoluta eſſent, quae prius ipſe ſolviſſet. Quique poteſtatis illi collatae, nos humiles & indignos ineffabili tua humanitate ſucceſſores fieri dignatus es, ita ut quae in populo tuo contingunt, & nos quoque ligemus, & ſolvamus. Ipſe rex optime, per me abiectum & inutilem ſervum tuum famulo

πεινοῦ καὶ ἀχρείου δούλου σου συγχώρησον τῷ δούλῳ σου τῷ δεῖνι εἴ τι ἐν τῷ παρόντι βίῳ ὡς ἄνθρωπος ἐπλημμέλησε, καὶ ἄφες αὐτῷ ὅσα ἐν λόγῳ, ἢ ἔργῳ ἢ κατὰ διάνοιαν ἥμαρτεν, λύσας αὐτοῦ καὶ τὸν ἐπικείμενον μεθ' οἵων δήποτε τρόπων δεσμὸν, ὃν αὐτὸς καθ' ἑαυτὸν, ἐκ συναρπαγῆς ἢ ἄλλης τινὸς αἰτίας ἔδησεν, εἴτε ἀπὸ ἀρχιερέως, ἢ παρὰ ἄλλου τινὸς; φθόνῳ καὶ συνεργείᾳ τοῦ πονηροῦ τοιοῦτον ὑπέστη ὄλισθημα, εὐδόκησον ὡς μόνος ἀγαθὸς καὶ πολυέλεος, τὴν μὲν ψυχὴν αὐτοῦ μετὰ τῶν ἁγίων ταχθῆναι τῶν ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστησάντων· τὸ δὲ σῶμα τῇ παρὰ σου δημιουργηθείσῃ φύσει δοθῆναι. Ὅτι εὐλογητὸς καὶ δεδοξασμένος ὑπάρχεις, εἰς τοὺς αἰῶνας ἀμήν.

mulo tuo N. ſi quid in praeſenti vita ut homo commiſit, indulge: & quaecunque verbo, opere, aut cogitatione perpetravit, ſoluto etiam impoſito quibuscunque modis vinculo, quo ſe ex ſubreptione aut alia quavis cauſa implicuit, ſive etiam pontificis aut alterius cuiusvis auctoritate, ex invidia & opere maligni ſpiritus in hanc miſeriam lapſus eſt, abſolve. Et ut ſolus bonus & miſericors valde, animam quidem eius cum ſanctis, qui a ſaeculo tibi placuerunt, collocari, corpus autem naturae a te productae reſtitui concede. Quia benedictus & glorioſus exſiſtis in ſaecula Amen.

Haec precatus pontifex, ad ipſum progreditur abſolutionis actum, qui, quo pacto quibusque formulis fiat, in euchologio hunc in modum deſcribitur: Γράφει ταῦτα ὁ ἀρχιερεὺς εἰς χαρτίον, καὶ ἐπιδίδωσί τινι τοῦ ἀναγνῶναι ἐπάνω τοῦ τεθνηκότος, ἢ αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ ταῦτα λέγει. *Scribit ſequentia pontifex in charta, traditque legenda ſuper mortuo aut ipſe per ſe ipſum hoc pacto pronunciat.*

Ἔφθασε μὲν ἡ ταπεινότης ἡμῶν ἀφορισμὸν ἐνεγκεῖν ἐπὶ τῷ εὐλαβεστάτῳ ὁ, διὰ τὸ συμβὰν ἐπ' αὐτῷ ἀτόπημα, οἷα τὰ τοῦ δαίμονος πανουργήματα τῇ ἀνθρωπίνῃ φύσει ἐναποτίκτονται· ἐπεὶ δὲ, οἷς τρόποις οἶδεν ὁ τὰ πάντα καὶ πρὶν γενέσεως αὐτῶν ἐπιστάμενος κύριος, τὸ κοινὸν ὄφελος ἀπητήσατο ὁ τοιοῦτος ἐν ἑαυτῷ τοῦ ἀφορισμοῦ τυφῶνα ἐπιφέρων, διὰ τοῦ παρόντος χαρτίου λύομεν αὐτὸν τοῦ τοιούτου ἀφορισμοῦ ἐν τῷ ἁγίῳ πνεύματι, καὶ ἔσται λελυμένος ἐν τῷ μέλλοντι σὺν ἅπασι χριστιανοῖς τὸν κύριον ἐποψόμενος, καὶ μετὰ τῆς εὐλογημένης μερίδος τοῦ πατρὸς τὴν εὐλογημένην καὶ μακαρίαν φωνὴν ἀκουσόμενος.

Τοῦτο δὲ πράττομεν τῇ τοῦ κυρίου θαῤῥοῦντες φωνῇ τῇ· ὃ ἐὰν δήσητε, λέγουσαν, ἔσται δεδεμένον, καὶ ὃ ἐὰν λύσητε, ἔσται λελυμένον.

Contigit quidem humilitatem nostram excommunicationem ferre in devotissimum N. propter indecens facinus quoddam, qualia plura humanae naturae enascuntur. quandoquidem vero (iis quos novit modis Dominus, qui cuncta, antequam fiant, agnoscit) commune debitum exsolvit, ille procellam excommunicationis secum devolvens: praesenti diplomate in sancto Spiritu a tali excommunicatione illum liberamus, ut & in futuro solutus existat, cum Christianis omnibus Domini visionem percepturus, & cum benedicta patris parte, benedictam & beatam Christi vocem auditurus.

Hoc autem agimus Domini voce confisi, dicente: quodcunque ligaveritis, erit ligatum, & quodcunque solveritis, erit solutum.

Sequitur in GOARI codice alia εὐχὴ εἰς λύσιν ἀφορισμοῦ τεθνηκότος *Oratio ad excommunicationem mortui solvendam*, qua fusa corporis horrendam compagem uno momento dissilire ferunt. Ea ita se habet:

ὁ ἐξυ-

Ὁ ἐξουσίαν δοὺς τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ ἀποστόλοις, καὶ μαθηταῖς Χριστὸς ὁ Θεὸς δεσμεῖν τε καὶ λύειν. κελεύσας τὸ, ἐὰν δήσωσιν ἐπὶ τῆς γῆς ἔσαι δεδεμένον καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, καὶ ὅσα ἂν λύσωσιν, ὡσαύτως λελυμένα ὦσιν. Αὐτὸς διὰ τῆς δοθείσης μοι ὑπὸ τῆς ζωαρχικῆς δωρεᾶς τοιαύτης ἐξουσίας τοῦ δεσμεῖν δηλείοτι καὶ λύειν, συγχωρῆσαι σοι τῷ ἐν τούτῳ τάφῳ κειμένῳ τῷ δεῖνι τοῦ ἐπικειμένου σοι ἀφορισμοῦ τῆς ἐμῆς εὐτελείας οὗ τινος τὴν λύσιν οὐκ ἔφθασας λαβεῖν ἔτι ζῶν. Ἀλλ' ὁ νεκρῶν καὶ ζώντων ἐξουσιάζων Θεὸς συγχωρήσῃ σοι τὸ τοῦ ἀφορισμοῦ παρὰ τῆς ἐμῆς ταπεινότητος ἔγκλημα καὶ τῆς τῶν σωζομένων ἀξιώσῃ μερίδος· ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος· ᾧ τινι τὴν δόξαν ἀναπέμπομεν τῷ πατρὶ, καὶ τῷ υἱῷ, καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι.

Qui poteſtatem dedit ſanctis ſuis diſcipulis & apoſtolis ſolvendi & ligandi, Chriſtus Deus, iubens, ut, quodcunque ligaſſent ſuper terram, foret ligatum & in coelo, & quaecunque ſolviſſent, ſimiliter & ſoluta forent. Ipſe per mihi datam a dono vivifico talem poteſtatem, ligandi videlicet & ſolvendi: tibi N. in ſepulchro iacenti ab excommunicatione a mea tenuitate impoſita, cuius ſolutionem vivens non impetraſti, te liberet: ſed & mortuorum vivorumque dominator excommunicationis a mea humilitate inflictae reatum tibi remittat, & beatorum partis te conſortem reddat, ut bonus & humanus, cui gloriam referimus: Patri, Filio, & ſancto Spiritui.

Addit denique IACOBVS GOAR e fragmento codicis regii aliam a cenſuris abſolutionem homini cuidam morte cruenta exſtincto datam, quae eum maxime ab hactenus editis diverſa ſit, minime mihi praetereunda hoc loco viſa eſt. Ea vero talis eſt:

Τέκνον, ὁ Θεὸς ὁ ἅγιος καὶ ποιητὴς τοῦ παντὸς, ὁ μόνος γινώσκων τὸν τρόπον τῆς ζωῆς ἑκάστου ἀνθρώπου, ἵλεώς σοι γένοιτο ἀντὶ τοῦ πικροῦ θανάτου ὃν ὑπέστης διὰ χειρῶν βαρβάρων ἀναιρεθείς· κἂν ὑπὸ νεωτερικοῦ φρονήματος ἀπαγόμενος, ἀδιόρθωτος ἔμεινας ἀπὸ τοῦ σφάλματος, ὅπερ ἐσφάλης, δι' ὅπερ καὶ ἀφωρίσθης. Ἀλλὰ κἀκεῖνο συγχωρηθείη σοι διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἐφ' οἷς καὶ θαρρήσασα ἡ ταπεινότης ἡμῶν ἀπολέλυκε σε ἐν ἁγίῳ πνεύματι ἀπὸ τῶν ἀφύκτων δεσμῶν τοῦ ἀφορισμοῦ, καὶ συνέταξε σε μετὰ πιστῶν· ὥστε καὶ οὐδὲν ἐν ἡμέρᾳ Θεοῦ, καὶ ἀνταποδόσεως τῶν ἑκάστῳ βεβιωμένων πρόσκομμά σοι ἐντεῦθεν γενέσεται, πρὸς τὸ τυχεῖν τῆς ἐν Χριστῷ σωτηρίας. πρεσβείαις τῆς θεοτόκου, καὶ πάντων τῶν ἁγίων· Ἀμήν.

Fili, Deus ſanctus & univerſi opifex, qui uniuscuiusque hominis vitae modum agnoſcit, propitius tibi fiat amarae mortis vice, quam manibus barbaricis occiſus toleraſti, & quamvis iuvenili impetu abductus, nondum emendatus perſeveraveris in errore, propter quem excommunicationis cenſura innodatus es; ſed & remittatur tibi propter miſericordiae Dei viſcera, quibus & confiſa humilitas noſtra liberatum te eſſe uoluit in ſancto Spiritu inevitabilibus excommunicationis vinculis, & cum fidelibus te deinceps annumeravit: ita, ut iſtinc in die Dei & retributionis pro quibuslibet in vita actis faciendae nullum tibi impedimentum oriatur, quin ſalutis in Chriſto conſors fias. Intercesſionibus Deiparae, & omnium ſanctorum. Amen.

§. XII.

Atque haec quidem ſunt, quae agenda ſibi praeſcripſerunt Graeci, ſi quem tympanicum a foedo corporis tumore liberare cupiunt, quibus abſolutis corpus ſtatim diſſilire, & in cineres converti adſeveranter referunt. Iam ſi quis quaerat, quid de grandi hoc prodigio ſtatuendum videatur, nemini ignotum eſt, ſcriptores hic affectibus plerumque obſequi, & modo

modo defendere illud, modo exagitare, prout id ſua intereſſe exiſtimant. Graeci ſane omnes uno ore ac incredibili conatu pro eo contendunt, ac aegre ferunt, tam inſigne eccleſiae ſuae miraculum a quoquam in dubium vocari. Imo, quod mireris, ex latina eccleſia conſentientes inveniunt haut paucos, ſed eos tantum, qui orientalem eccleſiam parum a romana abeſſe in proteſtantium odium ſtatuunt, aut certe graeca omnia mirum in modum admirantur. Facile igitur reddi poterit ratio, cur IACOBVS GOAR tam honorifice de abſolutione tympanicorum graecanica ſentiat. Notum enim eſt hominem romano pontifici obnoxium id praecipue egiſſe, ut graecos cum romana eccleſia in omnibus fere fidei articulis ceremoniisque conſpirare oſtenderet. Attamen nec pauciores licet enumerare, qui totum hoc excommunicationis graecae myſterium fabulis accenſent, quod praecipue faciunt LEO ALLATIVS, HOTTINGERVS, NATALIS ALEXANDER, & forte alii. Denique ſunt, qui cum PHELAVIO modeſtius iudicandum exiſtimantes, totum negotium in medio relinquunt, nihilque pronunciandum putant. Quorum omnium ſententiae quibus fundamentis innitantur, ex ſequentibus apparebit dilucidius.

§. XIII.

Diſſimulari non poteſt, plura in narrationibus ſupra adductis occurrere, quae totam rem maxime ſuſpectam nobis reddunt. Primo enim id quam maxime eſt admirandum, graecorum hoc miraculum, quod iam veluti quotidie fieri perhibent, olim cum eccleſia adhuc miraculorum dono coruſcaret, ne ſemel quidem factum legi. Ex inſtituto de miraculorum duratione in eccleſia egit H. DODWELLVS, (a) ſcriptor in hiſtoria eccleſiaſtica accuratiſſimus, qui miraculorum donum ſeculo II. adhuc viguiſſe, deinde paullatim defeciſſe, ac non niſi ſub perſecutionibus nonnunquam obſervatum eſſe, denique ſeculo quarto prorſus deſiiſſe ex CHRYSOSTOMO & AVGVSTINO demonſtrat.

(a) *Dodvv. Diſſert. Iren.* 2.

ſtrat. Et quamvis ANONYMVS ANGLVS (*a*) etiam ſeculo quinto miracula ſubinde facta velit, ipſe tamen negare non poteſt, raro illud ac minus frequenter contigiſſe. Quod & GVIL. CAVE (*b*) ſtatuit, qui omnia fere, quae poſtea contigiſſe feruntur, miracula, ridicula, puerilia & a gravitate apoſtolica ita remota eſſe docet, ut ſapientum hominum fidem vix mereantur. Faciunt cum his theologi noſtrates tantum non omnes, (*c*) ſed & Patres haut pauci, (*d*) & ex pontificiis quamplurimi, (*e*) quorum verba adducere chartae anguſtia prohibet. Iam vero toto illo tempore, quo vera miracula in eccleſia, fatentibus cunctis, viſa ſunt, nihil de tympanicorum miraculoſa abſolutione usquam apparet; ſed illa tunc demum audiri coepit, cum mundus ſeneſcens, ut cum IOH. GERSONE (*f*) loquar, *paſſus eſt phantaſias falſorum miraculorum, non ſecus ac ſenex quispiam variis deluditur inſomniis.* Id quod ſi non falſitatis arguet, ſaltem ſuſpectam reddet hanc excommunicationis efficaciam. Dices forte, miracula eſſe extraordinaria, nec adeo neceſſario requiri, ut eorum exempla iam in antiquitate exſtent. Sed facile patet, ratione hac ſuſpicionem non tolli. Hoc enim miraculum graecis non extraordinarium eſt, ſed tanquam ordinarius excommunicationis effectus, ita, ut veluti in articulum fidei apud graecos tranſierit, ceu ſuperius oſtenſum. Qui igitur fit, ut antiqua eccleſia minore cum effectu, excommunicarit, ac nova, cum & ſanctior multo & incorruptior

(*a*) *In triumpho Chriſtianitatis, ſeu vita Iuliani Apoſtatae in Act. Erud. Lipſ. 1685. pag. 72.* (*b*) *Cave vit. Patrum Part. I. p. 100.* (*c*) *Vid. Gerhard Conf. Cathol. lib. 2. artic. 5. cap. 4. pag. 1228. Grauer. Prael. in A. C. pag. 49. & 860. Quenſtedt. Part. IV. Syſt. cap. 15. pag. 506. Luther. Tom VI. Jenenſ. Germ. p. 318. Tom. VII. fol. 206.* (*d*) *Auguſtin. l. 22. de C. D. cap. 8. Greg. M. hom. 29. in Evang. & lib. 27. moral. cap. 11. Concil. Nicen. II. act. 4. Bernhard. ſerm. 1. in die Aſcenſ. Nic. de Clemang. Epiſt. 6. ad Ioh. Gerſ. pag. 175.* (*e*) *Ioh. Fiſcher adv. Luther. de captiv. Babylon. cap. 10. part. 4. Salmeron. tom. 9. tract. 51. pag. 406. Claud. Eſpenſ. ad 2 Tim. III. pag. 92. Greg. de Valent. lib. 6. analyſ. cap. 7. pag. 48.* (*f*) *Gerſon. lib. adverſus ſectam flagellant.*

ruptior fuerit. Poſſet quidem huc trahi exemplum ANANIÆ & SAPPHIRÆ coniugum, qui PETRI increpatione enecti ſubita morte exſpirarunt. (*a*) Sed hoc exemplum non modo diverſum eſt a miraculo graecanico, ſed & illud in maiorem ſuſpicionem adducit. Diverſum primo eſſe nemo non videt. An enim PETRVS hos excommunicavit? an tympanorum more turgida corpora apparuerunt? an benedictio mortuis reddita? an reſacrati in cineres diſſiluerunt? Deinde ex hoc ſingulari exemplo conſtat, apoſtolis veluti propriam fuiſſe hanc puniendi poteſtatem, ut rebelles eccleſiae cives, aut ſi qui alii curſum evangelii remorari auſi eſſent, Satanae traderent, morbis aliisque afflictionibus excruciandos. Erat haec ipſa virga apoſtolica, quam Corinthiis minatur PAVLVS 1.Cor.IV, 21.V, 5.2. Cor.X, 6.8.9. XIII, 2.10. Ubi conferenda quae eleganter diſſerunt CHRYSOSTOMVS, HIERONYMVS, GVILIELMVS CAVEVS, GROTIVS & PETRVS MOLINAEVS. (*b*) Sic & eam poteſtatem, quam ELIMAS, ANANIAS, SAPPHIRA, ALEXANDER & HYMENAEVS experti ſunt, apoſtolis propriam ac in ſupplementum iuſtitiae civilis datam fuiſſe agnoſcunt omnes, qui paullo accuratius rem conſiderant. Quod ſi igitur apoſtolis propria fuit, cur hodienum quodammodo apud graecos remanet, & ita quidem remanet, ut etiam ad mortuos huius poteſtatis effectus pertineat? Scio a nonnullis ita iniri rationem, fatendum omnino eſſe, apoſtolos eiusmodi poteſtatem ideo exercuiſſe, quoniam iudices deerant ciuiles, a quibus in crimina animadverti potuerit. Cum igitur haec eadem conditio graecorum ſit, ubi nulli chriſtiani iudices reperiantur, Deum ſacerdotibus eandem poteſtatem, cuius participes apoſtoli fuerint, feciſſe. Videtur huc reſpicere TENZELIVS: (*c*) *Die*

F *Par*[illegible]*iar-*

(*a*) *Actor. V. verſ. 2.* (*b*) *Chryſoſt. Homil 24. in 1. ad Cor. pag 444. Hieron. Tom. IX. pag 305. Caveus in Antiqq. Apoſt. pag. 186. & Chriſtianiſm. prim. part. 3. cap. 5. pag. 745. ſeq. Grot. ad 1 Cor. IV. v. 21. pag. 58. ſeq. Tom. V. Crit. 5. Petr. Molin. libr. 8. de Poenitent. cap. 12. p. 529. ſeqq.* (*c*) *Tenzel. Monatl. Vnderred. Anno 1689. pag. 949.* ubi conf. *Thom. Smith de Eccl. Graec. ſtatu hodierno pag. 152. ſeq.*

Patriarchen und Bischöffe haben kein besser und strenger Mittel, die Gottlosen in Zaum zu halten, weil ietzo die Griechischen Geistlichen unter der Turckischen Regierung fast in eben solche Consideration bey den Ihrigen kommen, als die Patres bey der ersten Kirchen unter der heydnischen Obrigkeit Sed non ferunt nostrae rationes, ut hoc admittamus. Nec enim concedunt graeci, hoc prodigium demum sub turcica captivitate fieri coepisse. Siquidem Mahometi, qui Constantinopolin primus occupavit, narrata res est tanquam vulgaris & iam ante fieri solita. Imo multo ante in ecclesia Romana facta dicitur, ut docent exempla supra allegata. Denique nec in solis ditionibus Turcarum imperio subiectis tympanici solvuntur, sed & in aliis regionibus. Neapoli enim Graecos idem praestitisse supra §. V. ostensum est. Quocunque igitur nos vertamus ubique suspicionem nobis movet rei novitas, nullo fere praetextu excusanda.

§. XIV.

Deinde hoc prodigium non parum suspectum reddit auctorum insignis discordia: siquidem ab aliis hoc, ab aliis alio modo narratur, ut solent in fabulis parum constantes esse fabulatores. Certe nulla fere circumstantia est, in qua auctores conveniant. Solam excommunicationem episcoporum aut sacerdotum tam horrendorum effectuum causam esse GREGORIVS MELISSENVS, MALAXVS aliique fere omnes contendunt. At aliorum etiam hominum inprimis parentum maledictionem tantundem valere, ex precibus συγχωρητικαῖς liquet. Deinde alius hanc, alius aliam excommunicationis formam refert; CHRISTOPHORVS ANGELVS vestes sacerdotales & Psalmi CIX. lectionem, alii conceptam tantum excommunicationis formulam nec tamen unam eandemque omnes requirunt. Porro & in effectu excommunicationis multo magis discrepant auctorum sententiae. GREGORIVS MELISSENVS tantum corporis in tympani modum inflati meminit, in Turco-

Grae-

Graecia & alibi saepius niger & deformis corporis habitus adiicitur, CAROLVS DV FRESNE etiam foetorem addit. CHRISTOPHORVS ANGELVS & LEO ALLATIVS capillorum integrorum, unguium dentiumque candidorum, oris hiantis, corporis tympani sonum edentis, mentionem faciunt. Idem ALLATIVS una cum RIÇAVTO & Dno. de la CROIX corpora eiusmodi devota a daemonibus intrari & exagitari perhibent, atque hac in re iterum tantum inter se discordant, ut alter alterum ingenio superare voluisse videatur. Denique nec in modo absolvendi amantius inter se conspirant. Alii solas preces & conceptam absolutionis formulam necessariam ducunt. Alii ipsius sacerdotis excommunicantis, licet vel maxime a fide interim desciviſſet, operam desiderant, alii etiam partis laesae praesentiam, consensum & preces requirunt, alii cadaver templo inferri, erigi & precibus publicis ecclesiae solvi postulant, alii absentis quoque sacerdotis absolutionem sufficere volunt. Burcolaccas alii igne, alii sectione in partes & fervente vino, alii solis precibus & absolutione in cineres resolvi credunt. In precibus alii extremam cordis compunctionem & lacrymas postulant, cum alii tamen apostatam quoque recitatis precibus tantundem posse existiment. Diploma συγχωρητικὸν hi necessarium aiunt, illi eius nec mentionem quidem faciunt. Imo aliqui, quod mireris, non solum precum & formularum sed & ligonis usum adiiciunt, quo percutiendum esset corpus ἀδιάλυτον. Sic in nulla circumstantia conspirant auctores, nisi ubi alter alterum forte exscripserit. Quae res quantum suspicionis iniicere possit, nemo non videt.

§. XV.

Porro novam nobis suspicionem facit insignis graeculorum superstitio, & ad miracula varia confingenda pruritus, de quo innumera liceret testimonia proferre. Sane dici non potest, quam vana ea gens hac in re sit, quamque credula. Miracula nobis narrat, quibus vix apostoli excellentiora fecerunt,

runt, & cum omnes hiſtoriae ſileant, ita tamen narrat, ac ſi res eſſet omni exceptione aut dubitatione maior. CHRISTOPHORVS ANGELVS (*a*) ut abſolutionem mortuorum, tanto cum prodigio coniunctam, a ſuſpicione novitatis abſolvat, perſuadere nobis nititur, multo maiora & excellentiora miracula apud graecos hodienum fieri, quae ſatis demonſtrent, donum miraculorum nondum apud gentem ſuam defeciſſe. Sic enim in confeſſo eſſe ait, ante ſexaginta, & quod excurrit, annos Iudaeos Cayrum inhabitantes, baſſam Cayrenſem pollicitationibus eo induxiſſe, ut omnes chriſtianos internecioni daret, niſi religionis ſuae veritatem miraculis illis probarent, quae Chriſtus a fidelibus ſuis facienda eſſe promiſerit. (*b*) Haut mora patriarcha accitus, optio illi data, aut poculum veneno infectum, cruce tamen minime benedictum exhauriret, (id quod impune a fidelibus factum iri Chriſtus promiſerit) aut cum omni gente ſua periret. Patriarcha triduo ieiuniis precibusque exacto adfuit, acceptum venenum clam benedictum ebibit, aquaque infuſa elotum poculum delatoribus porrexit itidem exhauriendum. Quo facto iudaeus crepuit, patriarcha illaeſus abiit. Novum hinc negotium factum patriarchae. Iuſſus enim eſt montem a loco uno in alterum transferre, quod niſi feciſſet, actum iri de chriſtianis. Denuo igitur ad ieiunia confluunt chriſtiani, precibus & votis omnia templa perſonant. Quibus intra triduum abſolutis, redit patriarcha ad baſſam, montem oppoſitum appellat. *Adeſto mons*, inquit, *in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Confeſtim mons ac ſi non verbis appellatus, ſed fulmine percuſſus eſſet in partes comminutus, pedibus praeſentium advolutus eſt, ita ut periculum eſſet ne opprimerentur. Quod ubi animadvertit patriarcha, denuo allocutus montem, conſiſtere eum loco iſthoc iubet. Atque hinc iſte mons hodienum στῆθι ὄρος, id eſt, *ſta mons*, vocatur. His igitur miraculis exterritus baſſa chriſtianos magnifacere, iudaeos a chriſtianis occidi

(*a*) *Angel. Enchirid. cap. 26. pag. 550.* (*b*) *Marc. XVI, 9. Matth. XVII, 20.*

occidi iussit. Hi vero hominum maleferiatorum miserti ab impetu isthoc sese continuerunt, & gentem illam saltem aquam Cairo suis sumtibus inferre iusserunt. Haec CHRISTOPHORVS ANGELVS, qui ubi prolixe rem retulit, ita pergit: κατὰ τὸν αὐτὸν δὴ τρόπον καὶ τὰ σώματα τῶν ἀφορισμένων λύεται θαυματουργῶς, ὡς καὶ ὁ πατριάρχης πέπωκε τὸν ἰὸν, καὶ τὸ ὄρος ἐκάλεσε, καὶ ἦλθε. *Sicuti igitur patriarcha venenum bibit, & montem secundum votum accersivit, ad eundem hoc est plane miraculosum modum excommunicatorum corpora in cineres revertuntur.* Sed profecto hoc commento non excommunicationis istius miraculosae fidem, sed gentis suae vanitatem factumque ad fabulas confingendas ingenium probat. Quis enim unquam hoc miraculum Aegyptiacum vel fando accepit, antequam a CHRISTOPHORO ANGELO narratum fuit? Quis dubitet, quin haec omnia interpolata sint, ex fabellis illis, quas apud discipulum in *Serm. de Tempore*, PETRVM de NATALIBVS, (a) M. PAVLVM VENETVM, (b) & BEYERLINGIVM (c) legimus, ubi miracula bina invenimus nostris tam gemina, ut, si a temporis circumstantia discesseris, ovum vix ovo similius videatur. Alterum enim sub Calipha quodam Tartariae, alterum sub Mahomete in Graecia factum aiunt, utrumque falsissimum, ut solent, quae a legendariis istis proficiscuntur. Cairi sane nihil unquam tale gestum audivimus, cuius tamen fama, si vera narraret CHRISTOPHORVS ANGELVS, procul dubio totum terrarum orbem pervasisset. Scripsit CHRISTOPH. ANGELVS ineunte seculo XVII. miraculum vero istud factum ait ante sexaginta, & quod excurrit annos, hoc est medio seculo XVI. Eodem vero tempore Aegyptum lustrarunt ex europaeis multi, quorum & itineraria extant, sed eorum nullus, quantum mihi constat, tam grandis & stupendi miraculi ullam facit mentionem. Unde non immerito colligas, graecorum fidem in recensendis gentis suae miraculis, quam maxime laborare. Quod ne cuiquam dubium

videatur,

(a) In Catal. S. l. 9. cap. 19. *(b) Lib. 1. de Region. orient. cap. 18.*
(c) In Theatr. pag. 104. 107.

videatur, adiicere libet alias obſervationes RICAVTI, (a) qui ſatis diu inter graecos verſatus eorum ritus & mores accurate perſpectos habuit. Is vero obſervat, graecos eſſe miraculorum cupidiſſimos, tantumque ad ſuperſtitionem inclinare, ut opinionem ſemel receptam vix dimittant. Hinc eos fontibus, quos ſanctis dedicare ſolent, certam miracula edendi vim tribuere, aliaque fingere prodigia, quae ipſo oculorum iudicio refutantur. En egregium ſpecimen, quod ex „RICAVTO (b) in latinam linguam transtulimus: Eſt prope „Magneſiam pagus, cui nomen Boſchioi, in quem quotannis „S. Georgii effigies cum magna tum graecorum, tum turcarum frequentia ſolenniter defertur, quorum hi temporis „fallendi, illi religionis cauſa adeſſe ſolent. De ea firmiter „ſibi perſuadent homines creduli & inprimis foeminae, quod „pravos & ſceleratos, ſi ab iis feratur, male mulctet, probis & frugi hominibus nihil inferat detrimenti. Inceſſit „aliquando DN. RICAVTVM cupido, pictam hanc furiam, „ceu vocat, videndi: de qua graeci tam mira narrare ſolebant. Quo conſilio deficiente iam die in hunc pagum profectus eſt. Vix dies illuxerat, cum ſtatim adeſſet magna hominum frequentia. Sacrificulus graecus effigiem humeris „ferebat, hunc comitabantur bini alii ſacerdotes graeculi, „alias imagines portantes. Prodibat interea pompa magna „devotione, ſanctusque nihil turbarum dabat. Ubi ad procerum acer deventum, ſubſtitit populus, & miſſae ſacrificium „confectum eſt, quo abſoluto, ſacerdotes imagines populo „dederunt, ad locum ſuum deferendas. Statim adfuit homo, „qui magno conatu imaginem ſibi depoſcit, eamque inſigni „cum veneratione humeris appendit. Sed vix ſuſtulerat in „tergum, cum inciperet ſanctulus moveri, torqueri & hominem, qui imaginem ſuo arbitrio vertere noverat, caedere, „ut iam iam exanimis in terram prolapſurus videretur. Hinc ſtatim

(a) *Ricaut. cap. 20. pag. 78.* (b) *Ricaut, cap. 6. pag. 32.*

ſtatim acceſſit alius, qui miſerum & imaginis onere & caedibus liberavit. Interea & caeterae imagines eos, a quibus geſtabantur, caedere & tundere coeperant, quae res dici non poteſt, quas turbas apud populum dederit. Has tragoedias admirari & cum voluptate adſpectare graeculi; turcae deridere ſolent. Quare DN. RICAVTVS ſacerdotes palam ob eam rem obiurgavit, queſtusque eſt de epiſcoporum ſocordia, qui eiusmodi nugas permitterent. Faſſus etiam eſt ſacrificulus, rem nullo fundamento niti: alii errorem plebeium hunc in modum excuſarunt, opinionem hanc diuturna conſuetudine in populi animis tam profundas egiſſe radices, ut evelli vix poſſit: ſi quis hoc tentaverit, eum non ſolum ſancti GEORGII honorem magno periculo expoſiturum, verum etiam ipſos fidei articulos ſuſpectos redditurum, cum plebs non minore fide hanc fabulam, quam quemvis fidei articulum credat. Haereſeos praeterea ſuſpectum fore, quicunque palam publicum & inveteratum errorem redarguere auſus eſſet. Creſcere igitur debere cum tritico zizaniam, nec hanc ſine illius periculo evelli poſſe, donec ipſe Dominus, cui ſoli tempus idoneum notum ſit, remedium huic malo afferat." Atque adeo ſtatim obſervabat DN. RICAVTVS, non imaginem, ſed ipſum, qui caedebatur, impoſtorem hos luſus dare. Nec dubitandum, quin etiam alii, qui aderant, hoc facile animadverterint, cum tamen nemo eſſet, quin miraculum ſe videre crederet. Quis igitur hac graeculorum credulitate conſiderata, excommunicationis prodigioſum effectum non eodem loco putet, vel certe ſuſpectum habeat?

§. XVI.

Denique & hoc ſuſpicionem augere poterit, quod miraculo rem adſcribunt, quae cauſſis potius naturalibus plerisque videbitur tribuenda. Quis enim ignorat mortuorum cadavera nonnullis locis ob terrae aut viſcoſitatem, aut frigus intenſum aut alias cauſas incorrupta & plane ἀδιάλυτα durare? Quis neſcit eadem

eadem, ubi ligone percutiantur, aut paullo maiore conatu quassentur, in cinerem dissilire? an haec tam miraculosa? an naturae viribus tam contraria? Anno CIϽ IϽC LXXVI. inventum est in Carniola comitis cuiusdam Lambergensis cadaver, quod anno CIϽ IϽ LXVI. terrae traditum, tam parum putredine amiserat, ut ante paucos dies sepultum credidisses. (*a*) Eadem regio servat cadaver *comitis* cuiusdam *de* CVSHTATZSCHITZSCH, intra centum annos nihil putredinis passum. (*b*) Sic anno CIϽ IϽ LXXXIV. GVARDIANVS TERSATENSIS ex encaeniis domum rediturus aquis absorptus periit, cuius cadaver ante aliquot annos integrum & incorruptum apparuit. (*c*) De CAROLO V. imp. & BENEDICTO pseudopapa idem adserunt Hispani scriptores. Notum quoque est in regionibus polo vicinis nihil putrescere, sed cadavera ante 30. annos terrae credita tam pulchra & integra reperiri ac si hodie animam exhalassent. Unde PETRVS du VALLE (*d*) vivos in his regionibus male, mortuos optime habere observat. Quod & in Chili, regione Americana contingit, ubi homines saepe in montibus frigidissimo vento obrigescunt, sed tamen postea nullam putredinem patiuntur, (*e*) ceu docet cadaver eiusmodi, quod integrum in gazophylacio Gottorpiensi servatur. (*f*) Ne vero quis existimet in regionibus duntaxat frigidioribus haec solere contingere, idem & in Africa loci ratione nonnunqnam fieri observat HERODOTVS, (*g*) & in Gallia etiam IOH. HENR. HOTTINGERVS. (*h*) Quidni ergo in graecia talia nonnunquam eveniant? Dices phaenomena in corporibus graecorum tympanicis alia inveniri. Sed non video adeo magnam diversitatem. Atra haec corpora esse nihil miraculosi sapit. De Americano enim Gottorpiensi idem observat lauda-

(*a*) *Io. Weich. Valvassor. de gloria Carniol. Part. 3. l. 9. c. 4.* (*b*) *Idem loc. cit. lib. 11.* (*c*) *Idem lib. 12. cap. 11.* (*d*) *du Valle. Part. 1. Geogr. univ. pag. 18.* (*e*) *Camerar. cent. 2. Hor. subcis. c. 70. p. 283.* (*f*) *Adam. Olear. in Gazophyl. Gottorp.* (*g*) *Herodot. lib. 3. c. 75.* (*h*) *Hotting. sec. 15. H.E. pag. 283.*

laudatus OLEARIVS; tympani ſonum edere graeca cadavera obſervatum eſt CHRISTOPH. ANGELO, idem & in Americano cadavere animadvertit OLEARIVS. Caeterae circumſtantiae ita variant, ut nihil certi inde elicias. Dices porro, inde ſequi, ut omnia graecorum cadavera talia ſint, atqui obſervatum eſſe, ſaepe cadavera eodem loco ſita nec integra nec tympanica eſſe. (*a*) Sed nec hoc quidem ſequitur. Quis enim dixerit omnia Carniolae, Galliae aut americana cadavera putredini reſiſtere? Poteſt certus aliquis terrae tractus isque aliquando ſatis parvus ita eſſe comparatus, ut cadaver in eo non putreſcat, quum proximus e contrario idoneus ſit corpori in cineres ſolvendo. Satis eſt, ſi dicamus, quod id in Graecia ſaepiſſime & frequentius quam in aliis regionibus fieri ſoleat. Certe in Moldavia pleraque corpora indiſſoluta conſpici, ipſe obſervaverat ATHANASIVS, Imbri metropolita, acerrimus alias huius prodigii hyperaſpiſtes. (*b*) Dices denique non poſſe reddi rationem, cur eiusmodi corpora, ſi natura loci rigeant, ſolis precibus tantum cedant, & expiata demum in cineres diſſiliant. (*c*) Sed & hic facilis reſponſio ſuppetit, ſi obſervemus, mortuorum cadavera, quae nonnunquam integra effodiuntur, in cineres redigi, ſimul ac vel levi digito attingas. Quanto facilius id fiet, ſi tam ſaepe loco moventur, inprimis ſi ligone percutiuntur, cuius in hac re uſum eſſe, diſerte affirmat IACOBVS GOAR. Imo uti ex ſuperioribus liquet, non deſunt exempla, quod corpora eiusmodi nonnunquam cocta, combuſta, aut denuo defoſſa ſint: quod procul dubio ideo factum eſſe credas, quoniam precibus eventus non reſponderit. Omnia haec ſi quis paullo accuratius, adhibita in conſilium ratione penſitaverit, totum hoc commentum aut nullo loco habebit, aut certe non tam facile ſibi iſtud perſuaderi patietur.

 §. XVII.

(*a*) *Tenzel. dial. menſtr. 1689. pag. 953.* (*b*) *vid. Allat. epiſt. de graecor. opinat. pag. 151.* (*c*) *Tenzel. loc. cit.*

§. XVII.

Hae igitur multoque plures rationes, licet ſuadere videantur, ut hoc graecorum miraculum fabulis accenſeamus: nolumus tamen hoc facere, tum ob teſtium multitudinem, quos omnes in mendacium aliquod conſpiraſſe credere nefas eſt, tum ob parallela exempla in romana eccleſia obſervata. Sunt ſane homines frugi & probi, qui vidiſſe ſe talia ſuis oculis teſtantur, ſunt qui iurato hoc adſerunt, ſunt qui ad mercatorum europaeorum teſtimonium provocant. Faciamus igitur rem ita fieri; (certiora enim hic ipſe deſidero) faciamus excommunicatos non putreſcere; faciamus tympani ad inſtar tumeſcere; faciamus precibus & abſolutione ſolvi, omnia haec inquam ita evenire fingamus, id tam certum tamen eſt quam quod certiſſimum, ritum hunc & impium & ſuperſtitioſum nedum miraculoſum eſſe, nec religionis graecae integritati, ſed turpi tantum ſuperſtitioni probandae eſſe aptum.

§. XVIII.

Quae ut eo dilucidiora ſint, in anteceſſum ſcienda eſt vera miraculorum definitio, quae characteres quosdam dabit ex quibus an miraculum aliquod ſuſpectum ſit, appareat. Eſt ergo miraculum ***opus Dei ſive immediate, ſive mediate agentis, ſupernaturale, & naturae impoſſibile, quod in ſenſus praeter ſolitum incidit & veritatem divinam confirmat.*** (*a*)

Dico eſſe *opus Dei*, unde apparet, nec diabolum, nec eius pſeudoprophetas miracula vera & propria poſſe perficere, licet mirabilia nonnunquam faciant, hoc eſt, eiusmodi res, quarum cauſas naturales ſtatim deprehendere non poſſumus. Soli Deo competit vera θαυματουργία, licet & diabolus ſe μυριοτεχνίτην & πάνουργον probet. Hinc ipſe Deus: (*b*) *Signa*, inquit, *faciam, quae creata non ſunt in univerſa terra, neque in ulla natione, & videbit*

omnis

(*a*) *vid. Gisb. Voëtii Diſſp. Part. II. pag 965. ſeqq.* (*b*) *Exod. XXXIV, 10.*

omnis populus opus Domini. Et psalmista: (*a*) *Benedictus Deus Dominus Israël* עֹשֵׂה נִפְלָאוֹת לְבַדּוֹ *faciens opera miraculosa solus, & benedictum nomen maiestatis eius in aeternum.* Item: (*b*) *Confitemini Deo dominorum quoniam in aeternum misericordia eius.* לְעֹשֵׂה נִפְלָאוֹת גְּדֹלוֹת לְבַדּוֹ *qui edit ingentia miracula solus, quoniam in aeternum misericordia eius.* Imo ipsi magi & praestigiatores, qui multa mirabilia fecerant coram Pharaone, demum agnoscere coguntur, miracula a solo Deo proficisci, & pediculorum creationem miraculosam esse *digitum Dei.* (*c*) Unde recte scholastici aeque ac theologi nostrates distinguere solent inter *mirabilia* & *miracula*, vel inter *miracula quoad nos* & inter *miracula simpliciter talia*, item inter *miracula aequivoce* & inter *miracula proprie dicta*, quorum illa etiam diabolis & pseudoprophetis concedunt, haec soli Deo omnipotenti vindicant. (*d*) Alio vero respectu humanae Christi naturae θαυματουργία competit, quippe quae nec mediate nec aequivoce miracula edidit, sed virtute communicationis axiomatum divinorum.

Additur in definitione, miraculum esse opus Dei *supernaturale & naturae impossibile*, hoc est, ita comparatum, ut naturae totius ordini absolute repugnet. Dantur enim & alia opera haut pauca, quae praeter, aut supra, imo & contra naturam particularem fieri dicuntur, ut e. g. *lapis in altum proiectus*, *aqua in tubo ascendens* &c. nec tamen miracula vocantur. (*e*) Sunt etiam forte, quae praeter aut supra omnem naturam ac facultatem inferiorem aut corpoream videntur contingere, nec tamen sunt supra naturam & vim universalem omnium causarum secundarum, quo a VOETIO (*f*) *hominis incessus per aëra, aut supra*

(*a*) *Psalm. LXXII, 18. 19.* (*b*) *Psalm. CXXXVI, 3. 4.* (*c*) *Exod. VIII, 19.* (*d*) *vid. Thom. part. 1. quaest. 110. art. 4. Biel. 2. sent dist. 8. quaest. 2. Gerhardus LL. theol. tom. V. pag. 476. confess. cathol. lib. 2. art. 5. cap. 4. pag. 1227.* (*e*) *vid. Thom. part. 1 quaest. 110. a. 4.* (*f*) *Voet. dispp. select. p. 699. Musaeus. Introd. in Theol. part. 2. cap. 5. sect. 2. pag. 391.*

supra aquas refertur. Relinquitur ergo, miracula proprie sic dicta omnem naturae potentiam tum activam, tum passivam transscendere, ita ut secundae & naturales caussae ad illa non concurrant, aut actione aliqua, aut inclinatione, sive receptione, nisi obedientiali. Talia sunt Dei & praecipue Christi miracula fere omnia, quippe ab ipso naturae opifice edita, qui *omnia, quaecunque voluit, facit.* (a) Sic ignem urendi vim amittere, (b) aquam comburi, (c) eandem murorum ad instar stare, (d) in vinum converti (e) solem stare & umbram retrogredi, (f) coecos, surdos, claudos, febricitantes variisque aliis morbis affectos uno momento, & non nisi verbis sanitati pristinae restitui, imo & mortuos postliminio in vitam redire, haec omnia & supra naturae ordinem sunt, & a nemine nisi ab ipso Deo perfici possunt. Atque hinc salvator iure suo ad miraculorum gloriam tanquam ad firmissimum deitatis suae testimonium provocavit: (g) *si non facio opera patris mei, nolite credere mihi, si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis & credatis quod pater in me est & ego in eo.* Quemadmodum & Iohannis baptistae discipulis interrogantibus: ipsene esset Messias? haec tantum respondit: (h) *euntes renunciate Iohanni, quae audistis & vidistis: coeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt*, id quod tantundem erat, ac si Messiam se esset professus. Animadvertit quoque Nicodemus miracula Christi esse supernaturalia & firmissima deitatis eius argumenta, hinc enim ita concludit: (i) *Rabbi scimus, quia a Deo venisti magister, nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Atque hic quidem conferri merentur, quae hanc in rem ab H. GROTIO (k) & DANIELE HVETIO (l) differuntur.

Nota

(a) *Psalm. CXV, 8.* (c) *Dan. III, 27.* (d) *1 Reg. XVIII, 38.* (d) *Exod. XIV. v. 22. Jos. III. v. 16.* (e) *Joh. II v. 9.* (f) *Jos. X, v. 12. 13. 2 Reg. XX. v. 10. 11.* (g) *Joh. X. v. 37. 38.* (h) *Matth. XI. v. 1. seq.* (i) *Joh. III. v. 2.* (k) *Grot. lib. 2. de verit. relig. christ. cap. 3.* (l) *Huet. prop. 9. cap. 39. pag. 746. seqq.*

Nota equidem sunt, quae contra hunc characterem a BEN. SPINOSA (*a*) proferuntur. Contendit enim auctor principiis atheisticis prorsus favens, nihil fieri posse contra naturam, siquidem Dei voluntas ab intellectu non distinguatur. *Hinc si quis statueret, Deum aliquid contra leges naturae agere, eum etiam simul putat cogi statuere, Deum contra suam naturam agere, quo nihil dici possit absurdius.* Nec distinctionem admittit inter ea, quae supra & ea quae contra naturam sint, eo ipso enim quo quid supra naturam fieri dicamus, statuendum nobis existimat, leges naturae aliquando a Deo turbari, quod denuo non minus absurdum videatur. Quibus prolixe deductis concludit, (*b*) *miraculum sive contra, sive supra naturam merum absurdum esse & propterea per miraculum in sacris literis nihil aliud posse intelligi, quam opus naturae, quod captum humanum superet, aut superare credatur.* Sed futilia haec omnia esse & male excogitata, ostendit B. MVSAEVS. (*c*) Primo enim miracula non esse naturae creatae opera, vel solus nos docet psaltes, (*d*) quando conceptis verbis dicit: *Dominum Deum, Deum Israëlis, dominum dominorum facere* נפלאות לבדו *miracula solum.* Si ergo Deus solus facit miracula, natura certe creata (de qua loquitur SPINOSA) ea non facit: atque adeo miracula nec sunt opera naturalia. Si vero non naturalia sunt, sunt vel contra naturam, vel praeter naturam. Sed non fiunt contra naturam, ut ipsi fatemur, ergo praeter naturam. Ipsum eius principium, quo intellectum Dei a voluntate realiter distingui negat, nos quoque admittimus. Sed quando inde concludit, omnia illa quae Deus vult, aeternam necessitatem involvere, absurdum commentum est. Quae omnia hic pluribus exsequi nihil attinet, cum accuratissime & prolixissime huic Atheo responderit laudatus MVSAEVS, cuius scrinia hic expilare nefas ducimus.

Additur porro in definitione, miraculum esse opus Dei *in sensus incidens*, quo scilicet miracula tum ab actionibus divinis

(*a*) *Tract. theologico-politici, cap. 6. pag. 68. seq.* (*b*) *loc. cit. pag. 73.* (*c*) *loc. cit. pag. 396.* (*d*) *Psalm. LXXII, 18. & CXXXVI, 4.*

immanentibus seu internis, tum a mysteriis distinguantur, quippe quae etiam opera & Dei solius & supernaturalia sunt, nec tamen cum miraculis confundi debent. Nec temere in definitione observatur, (*a*) opera isthaec fieri *praeter solitum*, ne miraculis accenseantur opera gratiae, supernaturalia quidem & quoad effectum in sensus incurrentia, sed tamen non miracula, quia in omnibus salvandis perpetuo fiunt e. g. iustificatio, regeneratio, renovatio, &c. de quibus AVGVSTINVS: (*b*) *si miracula essent frequentia, miracula non essent.*

Denique miracula sunt eiusmodi Dei opera, *quae veritatem divinam confirmant.* Unde sequitur, omnia illa mirabilia, quae veritati divinae repugnant, aut eam ulla ratione destruunt, miraculorum nomen haut mereri, sed praestigiis accensenda esse. Ipse sane Iehova nobis hunc miraculorum characterem dedit, dum per Mosen nos hunc in modum alloquitur: (*c*) *Si surrexit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat,* ***dederitque tibi signum, aut portentum,*** *eveneritque signum aut portentum, quod praedixit tibi,* ***atque is dixerit: eamus post Deos alios quos non novisti, & serviemus eis.*** *Non audies verba prophetae illius, aut eius qui somniaverit somnium.* Eadem est salvatoris nostri sententia, quando nos contra praestigias pseudoprophetarum ita praemunit: *tunc si quis vobis dixerit: hic est Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetae, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri possit) etiam electi. Ecce ego praedixi vobis. Si ergo praedixerint vobis, ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere.* (*d*) Ubi iterum miracula falsa pronunciantur, quaecunque veritati divinae semel revelatae repugnant. Consequens itaque est, omnia ista miracula falsa esse & praestigiis annumeranda, quae veritati divinae adversantur. Eleganter hanc in rem disserit *auctor operis imperfecti in Matthaeum:* (*e*)

Quem-

(*a*) *vid. Mus. loc. cit. pag. 392.* (*b*) *lib. 1. retract. cap. 13.* (*c*) *Deut. XIII, 1.* (*d*) *Matth. XXIV, 23. 26.* (*e*) *homil. 29.*

Quemcunque videris daemonia eiicientem, si non est confessio veritatis in ore eius, nec institia in manibus eius, non est homo Dei, atque adeo nec miracula proprie sic dicta agit. Gemina sunt illa THEOPHYLACTI: (a) *docet Christus ut is, cui concredita est doctrina, & praedicare & miracula patrare debeat. Tunc enim praedicatio per miracula confirmatur, miracula autem per praedicationem.* Ut omittam, quae ex TRITHEMIO, IOH. FERO, SALMERONE, IOSEPHO ACOSTA, aliisque a B. GERHARDO (b) proferuntur. Ex hac igitur definitione explicata & iuxta singula membra satis ut opinor probata quinque elicere licebit miraculorum characteres:

1. Elucere ex illis debere digitum Dei, hoc est, ita comparata esse, ut appareat, ea divinitus proficisci.
2. Debere esse supernaturalia & hominibus omnibus impossibilia.
3. Incurrere oportere in sensus.
4. Raro & praeter solitum fieri debere, & denique
5. Confirmare divinam veritatem, non vero eandem impugnare.

§. XIX.

Quod si igitur excommunicatorum solutionem graecanicam inspiciamus paullo accuratius, eamque ad characteres hos tanquam ad lydium lapidem exigamus, illico apparebit veri ac proprie sic dicti miraculi nomen illam non mereri. Equidem de prioribus dicere iam non libet: eorum enim consideratio, quemadmodum ad conceptum generis tantum pertinent, ita si quid certi statuendum esset, ipsius facti sufficientem requirunt notitiam, qua tamen destituimur, cum nec coram unquam intuiti simus eiusmodi τυμπανιαίων διάκων, nec auctores, qui rem narrant, inter se consentiant. Suspicionibus vero, quas iam superioribus paragraphis recensuimus, insistere nolumus, ne quid temere agamus. Superest igitur, ut ad quintum tantum

(a) *Theophyl. in cap. 9. Luc.* (b) *Gerhard. conf. cathol. lib. 2. art. 5. cap. 4. pag. 1250.*

tantum characterem illam examinemus, quippe qui & planior caeteris & differentialis & ad cathedram hanc est accommodatior. Quod si igitur demonstratum fuerit τὴν τῶν τυμπανιαίων διάλυσιν graecanicam divinam veritatem non confirmare, sed ei e diametro repugnare, satis puto fore perspicuum, eam quodvis potius, quam miraculi nomen mereri.

§. XX.

Primo igitur de excommunicatione ipsa quid sentiendum sit, & quid de ea graecis videatur expendamus. Fundamentum excommunicationis ecclesiasticae invenimus in scriptura sacra, primo quando Christus Petro dicit: (*a*) *quicquid ligaveris in terris, erit ligatum & in coelis*, deinde quando universis discipulis eandem potestatem confirmat: (*b*) *cuicunque retinueritis peccata ei retenta erunt*, & denique cum ipsum processum indicat: (*c*) *quando peccaverit in te frater tuus, redargue eum solus ipse solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum, sin vero non audierit, adhibe tecum adhuc unum & duos: ut in ore duorum aut trium testium consistat omne verbum, quod si non audierit eos, dic ecclesiae, si ecclesiam non audierit, sit tibi velut ethnicus & publicanus.* Haec igitur si fundamenta respicias, non alius conceptus excommunicationis ecclesiasticae nobis orietur, quam is, quem B. MATTHIAS HAFFENREFFERVS (*d*) hac elegantissima definitione expressit: *esse*, nimirum, *severissimam denunciationem de retentione peccatorum factam impoenitentibus & contumaciter sceleratis, nomine & mandato Christi, & exclusionem a communione ecclesiae, ut ad poenitentiam redeant, & per fidem in Christum salventur.* Quam quidem definitionem paucis explanabimus. Excommunicationem igitur esse

denunciationem de retentione peccatorum, satis patet ex dictis Christi, quibus impoenitentibus peccata retineri iubet. Ex quo enim Christus semel claves solventem & ligantem tradidit ecclesiae, voluit etiam ut peccatoribus refractariis & contumacibus peccata retinerentur, quod ut sciant, denunciatione opus

(*a*) *Matth. XVI, 19.* (*b*) *Joh. XX, 23.* (*c*) *Matth. XVIII, 15. seq.*
(*d*) *Haffenreff. LL. theol. lib. 3 stat 3. loc. 6. pag. 437.*

opus eſt. Recte vero a NICOLAO VIGNIER (*a*) noſtrisque theologis fere omnibus animadverſum eſt, excommunicationis denunciationem non uni alicui miniſtrorum, ſed toti eccleſiae competere, quod non modo ex verbis Chriſti concluditur: *ſi non audierit eccleſiam, ſit tibi ut ethnicus & publicanus*, ſed & multo expreſſius a Paulo docetur, (*b*) qui excommunicationem in inceſtum non ſolus ipſe pronunciat, ſed *congregatis Corinthiis & ſuo ſpiritu*. Imo tantum abeſt, ut ſibi hoc ius ſoli arrogarit, ut potius praeter traditionem Satanae reliqua omnia ab eccleſia peracta voluerit. Hinc enim addit, *expurgate fermentum:* item *tollite e medio veſtrum, qui mali ſunt*. Quando vero VIGNIERIVS eccleſiam explicat per presbyterium & populum: videtur ad eccleſiae gallicanae faciem reſpicere, ubi magiſtratus politicus fere heterodoxus erat, atque adeo ad hos actus vel nolebat concurrere, vel non poterat. Alias enim certum eſt, magiſtratus politici ius epiſcopale non eſſe hoc caſu negligendum, inprimis apud nos, ubi excommunicationis maioris denunciatio a conſiſtoriis fere decernitur.

Obiectum excommunicationis ſunt *impoenitentes & contumaces*, ſive quoad vitam ſceleratam ſive quoad doctrinam impiam & erroneam, & quidem chriſtiani. *Quid enim noſtra intereſt de extraneis iudicare? nonne de iis, qui intus ſunt, iudicandum nobis eſt? de extraneis vero Deus iudicat.* (*c*) Sciendum ergo, non tam peccata occulta aut privata, quam potius publica & palam manifeſta flagitia hac diſciplina eccleſiaſtica eſſe coërcenda, & quidem tum, ſi peccator in his graviſſimis ſceleribus animum obfirmet, nullisque monitis ad reſipiſcentiam adduci ſe patiatur. De prioribus enim delictis Chriſtus non excommunicationem mandavit, ſed potius privatam obiurgationem: *argue inter te & ipſum ſolum.* (*d*) Nec poſteriora ſtatim excommunicationem ſuſtinere oportet. Quod ſi enim ſtatim poenitentiam peccator agere animad-

H verti-

(*a*) *Vignier. tract. de excommunicat. Venetorum contra Baron. pag. 10. 11.*
(*b*) *1. Cor. V, 4.* (*c*) *1. Cor. V, 10. Conf. Petr. Molin. l. 8. de poenitent. cap. 14. pag. 536.* (*d*) *Matth. XVIII, 15.*

vertitur, iam excommunicari nequit, *coram omnibus tamen argui potest, ut reliqui timorem habeant.* (*a*) Id quod in nostris ecclesiis per poenitentiam publicam fieri solet, quae cum excommunicatione nihil habet commercii. Publicae huius obiurgationis exemplum habemus in Petro, qui cum ad publicum usque offendiculum peccaret, non monitus est a Paulo seorsim, sed ἔμπροσθεν πάντων, in conspectum ecclesiae productus. (*b*) Restant igitur soli contumaces & in delicto ita obfirmati, ut non nisi severiore remedio corrigi possint, quos a Christo intelligi satis inde apparet, quod ab iis nec privatos, nec ecclesiam ipsam audiri dicat, quae manifesta est contumacia. Quemadmodum & Paulus hanc contumaciam praesupponit, quando ait: (*c*) *quodsi quis non auscultat nostro per epistolam sermoni,* (id est, si nostras admonitiones omnes contumaciter reiiciat:) *tunc illum σημειοῦσθε notate, & ne commercium habete cum eo, ut pudeat.* Eiusmodi ergo obstinati cum omnia salubriora remedia respuant, ipso ἀφορισμῷ coercendi sunt, *ut tollantur e medio nostri, qui facinora haec patrassent.* (*d*) Cuius rei exemplum dat incestus ille corinthius: qui non solum publice ad omnium offendiculum peccaverat, sed & hoc flagitium suum tam efflictim adamare coeperat, ut nullis monitis ab isto posset revocari. Vnde & Paulus in praesenti dicit, eum *habere* patris uxorem. Quid ergo factu opus erat? Illud, ut excommunicationem sentiret, & ex consortio fidelium eiiceretur, qui tam parum bonae mentis demonstrabat. *Expurgandum erat vetus fermentum, ne paullulum illud totam massam fermentaret.* (*e*) Quae omnia tam manifesto de excommunicatione testantur, ut iam facile intelligamus, quid sibi velint verba in definitione nostra:

Nomine & mandato Christi. Indicant nimirum, hanc ecclesiae disciplinam non unice ad iudaeorum, aut gentilium aemulationem fuisse adinventam, sed primario ipsius Christi institutioni debere originem, atque adeo iuris divini esse. Id quod clarissime

(*a*) *1 Tim. V, 20.* (*b*) *Gal. II, 14.* (*c*) *2 Thessal. III, 14.* (*d*) *1 Cor. V, 2. 13.* (*e*) *1 Cor. V, 7. 8.*

rissime apparet ex dictis nostris fundamentalibus, quae non sine insigni violentia aliter quam de clave ligante ecclesiae explicari possunt. (*a*) Inde vero simul liquet, excommunicationem non esse poenam civilem, sed censuram ecclesiasticam. Sane enim Christus non de poenis civilibus, sed de rebus ad animae salutem necessariis nobis regulas praescripsit. Neque concessum est ministris ecclesiae, ut gladio civilis magistratus utantur, aut poenas politicas in ecclesiam invehant, cum diversissima sint ministeria ecclesiasticum & magistratus politici, ut Christus ipse docet, cum inquit: (*b*) *scitis quod principes gentium dominantur in eos: vos autem non sic.* Ecclesia enim administra tantum est Iesu Christi, quatenus est servator fidelium: Christus autem ad salutem fidelium nunquam usus est, aut uti permisit gladio magistratus politici. (*c*) Maximum ergo errorem commisere pontificii, dum excommunicationem, quam vocant, suam maiorem tot circumstantiis cumularunt, ut articuli Smalcaldici (*d*) probe observent, eam non nisi poenam civilem esse, nec pertinere ad nos ministros ecclesiae. An enim Christus uspiam mandavit, ut ecclesia contumaces peccatores a contractibus civilibus, civili hominum consortio, funerum iure aliisque eiusmodi rebus, quas plerumque nec gentilibus nec iudaeis negamus, excludat? Omnes hae poenae civiles sunt, & ad ministros ecclesiae non pertinent, quos Christus non saevire sed ligare, non plectere, sed peccata retinere iussit. Distinctionem hanc inter excommunicationem ipsam & eius circumstantias fundamenti loco esse putaverim, ad sopiendum illud dissidium, quod nuper inter viros doctos coortum est de quaestione: utrum excommunicatio sit iuris divini nec ne? Si enim suis se limitibus contineat ecclesia, & Christi regulas sequatur, non video quomodo

(*a*) *vid. quae contra Seldenum & Lightfootum disputat D. Calov. tom. X. system. pag. 453. – 462.* (*b*) *Luc. XXII, 25. Matth. XX. v. 25.* (*c*) *Vignier. libr. cit. pag. 9.* (*d*) *Artic. Smalcald. 9, pag. 333.* conf. *Vignier. loc. cit. pag. 24. seqq.*

modo divinam institutionem negare possimus: circumstantiae vero aliae simul acaccedunt, statim censura ecclesiastica simul in poenam civilem transit, & non amplius ad ecclesiam, sed ad politiam pertinet.

Additur in definitione, excommunicationem esse *exclusionem a communione ecclesiae*, & haec forma est excommunicationis, quae dicto Christi nititur: eiusmodi hominem nobis esse debere *velut ethnicum & publicanum*, id est, veluti hominem extra ecclesiam positum, ab omnibusque spiritualibus ecclesiae thesauris exclusum. Paulus hunc actum vocat *τὸ ἐξαίρειν ἐκ μέσου ὑμῶν*, item *τὸ ἐξαίρειν ἐξ ὑμῶν*, iubet nos cum illis *μὴ συναναμίγνυσθαι, μηδὲ συνεσθίειν*. (a) Quo ipso omnem tollit communionem tum spiritualem, tum etiam familiarem, quatenus scilicet haec cum periculo animae est coniuncta, quoniam nimirum paululo fermenti tota massa fermentatur. Omnia haec tam clara sunt, ut uberiore disquisitione opus non habeant. Quod si enim excommunicatus habendus est ut ethnicus & publicanus, sequitur ut cum eo communicare non liceat. Quis enim cum ethnico communicet, qui membrum Christi non est? Si porro tollendus e medio fidelium, sane non cum eo communicandum, cum communio semper requirat, hominem, quocum communicamus, esse intra ecclesiam nobiscum coniunctum, quippe cuius coniunctionis symbolum est communio. Si denique nec commisceri nos oportet cum excommunicato, nec edere cum eo licet, multo minus communicare, cum is actus illo sit multo sanctior ac, nisi legitime ad eum accedamus, maiore cum animae periculo coniunctus. Vt vero haec communionis ecclesiasticae privatio recte intelligatur, probe distinguendum est inter communionem internam ac externam. Interna illa est, qua fidelis quisque per fidem & caritatem cum Deo primum deinde cum aliis omnibus sanctis totoque ecclesiae corpore vinculo eiusdem spiritus unitur, quam ideo in symbolo apostolico *communionem*

(a) *1. Corinth. V. vers. 2. 13. 11.*

nem ſanctorum appellamus, de qua Iohannes (*a*) *quod vidimus & audivimus, annunciamus vobis, ut & vos communionem habeatis nobiscum, & communio noſtra ſit cum Patre & Filio eius Chriſto Ieſu.* Ab hac nemo per excommunicationem eccleſiaſticam ſolam, ſed per proprium peccatum excidit, dicente Deo per prophetam: (*b*) *Peccata veſtra diviſerunt inter vos & me.* Excommunicatio tamen ſi iuſta eſt, declarat, impoenitentem ab ea communione interna eſſe ſeparatum, quod VIGNIERVS (*c*) leproſorum exemplo confirmat, qui iuxta legem a ſacerdotibus communione eccleſiae excluſi, non lepra hoc ipſo inficiebantur; ſed infecti iam eſſe declarabantur. Externa vero communio ſecundum eundem VIGNIERVM (*d*) aut politica eſt aut eccleſiaſtica, quarum illa ad commercia iurium civilium, haec ad cultum Dei externum ſpectat. Quemadmodum vero per excommunicationem ab illa proprie nemo excluditur, cum nec ethnici & publicani, quibus Chriſtus excommunicatos ſimiles haberi voluit, ab ea removeantur: ita ab hac omnino excommunicatus excidit, niſi quod ipſi verbi divini auditio, (nec infidelibus quippe deneganda) non adimitur, quamvis id certis conditionibus fieri hodie quibusdam locis ſoleat.

Sed reſtat *finis* excommunicationis, probe conſiderandus. Eum hunc eſſe dicit definitio, *ut excommunicati ad poenitentiam redeant, & per fidem in Chriſtum ſalventur.* Recte quidem, ſi de excommunicato ipſo ſermo ſit, ſed ſi ſimul ad eccleſiam reſpiciamus, tum bini alii fines obſervantur. (*e*) Primus eſt, ne cum Dei contumelia inter chriſtianos nominentur, qui turpem ac flagitioſam vitam agunt, ac ſi ſancta eius eccleſia foret improborum & ſceleratorum hominum coniuratio. Nam cum illa ſit Chriſti corpus, (*f*) eiusmodi foetidis & putridis membris inquinari non poteſt, quin aliqua ignominia in caput recidat. Ne quid ergo tale extet in eccleſia, unde probrum ſacro ſancto eius

 nomini

(*a*) *1 Joh. I, 2.* (*b*) *Eſa. LIX, 2.* (*c*) *Vignier. loc. cit. pag. 13. 14.* (*d*) *Idem loc. cit.* (*e*) *vid. Calvin. inſtit. lib. 4. cap. 12. fol. 438. Vignier. libr. cit. pag. 15.* (*f*) *Coloſſ. I, 25.*

nomini inuratur, abigendi ſunt ex eius familia, quorum ex turpitudine ad chriſtianorum nomen infamia redundaret. Praecipue hic ratio habenda eſt coenae Domini, quae non ſuibus & canibus proiicienda, id eſt, promiſcua exhibitione profananda eſt. Veriſſimum enim eſt, eum, cui commiſſa eſt myſteriorum Dei diſpenſatio, ſi ſciens & volens indignum admiſerit, quem iure repellere poterat, perinde reum eſſe ſacrilegii, ac ſi corpus Domini canibus proſtitueret. Quamobrem auctor operis imperfecti in Matthaeum *potius corpus ſuum ſe tradtturum in mortem, & ſanguinem ſuum fundi paſſurum ait, quam pollutionis iſtius fieret particeps.* Hic ergo delectus ut inſtitui poſſit, ne indigne a tam multis edatur & bibatur ad iudicium, opus eſt excommunicatione ſceleratorum hominum, absque qua ſi eſſemus, Chriſti eccleſia contumeliam hanc vix evitaret. Alter finis eſt, ne aſſidua malorum conſuetudine, ut fieri ſolet, boni corrumpantur. Quod cum integro capite V. epiſtolae prioris ad Corinthios demonſtret Paulus, noſtro non eget ſtylo. Sed praecipuus finis ratione excommunicati eſt, ut excommunicatus ad poenitentiam redeat, & per fidem in Chriſtum ſalvetur. Senſu ſcilicet ſerulae expergiſcendi ſunt peccatores, indulgentia obſtinatiores futuri. Eiiciendi ex caetu fidelium, *notandi nec commercium habendum cum iis, ἵνα ἐντραπῇ, ut pudeat,* (a) id eſt, ut pudore ſaltem victi reſipiſcant. Tota igitur excommunicationis ratio non ſpectare debet ad excommunicati perniciem, quae ſuppliciorum civilium eſt ratio, ſed ad eius emendationem. Non poenam ſcilicet, ſed medicamentum, non ſupplicium ſed caſtigationem Chriſtus inſtituit. Vult etiam Paulus, ut & excommunicatum *non ut inimicum ducamus, ſed ut admoneamus ut fratrem,* (b) hoc eſt, uti CYPRIANVS ait, *ut miſericorditer corripiamus.* Hic finis niſi ob oculos verſatur iis, quos penes excommunicandi ius eſt, periculum erit, ne ex diſciplina mox ad carnificinam delabamur.

§. XXI.

(a) 2 Theſſ. III, 14. (b) 2 Theſſal. III, 15.

§. XXI.

Vereor, ne quibusdam praecipuam excommunicationis formam praetermisisse videar, quam in anathematibus consistere aiunt. Dicunt enim, quod excommunicatum non solum e communione ecclesiastica exterminari, sed &, si maiore censura notandus sit, diris devoveri & Satanae tradi oporteat. Insaniunt hac in re pontificii, qui tot anathematismos & maledictiones cumulant, ut non excommunicare peccatores, sed saevire in corpora & animas videantur. Quod certe non video, quomodo ferendum sit. Nullum habemus in scripturis mandatum ita anathematisandi, nullum exemplum. Christus peccata retineri & ligari, non vero diris peccatores devoveri iubet. Scimus quid responderit filiis tonitruum, cum ignem e coelo postularent: *nescitis qualis spiritus vos sitis? filius enim hominis non venit, ut perderet animas hominum, sed ut servaret*; (*a*) Cuius igitur spiritus sunt, qui lepram Gehasi, supplicium Korae, Dathanis & Abirami, imo ipsius Iudae damnationem miseris peccatoribus imprecantur? Non equidem ignoro, provocari ad exemplum Pauli, qui incestum Corinthium *satanae tradiderit ad interitum carnis*, qui & Alexandro, Hymenaeo, Elymae corporale aliquod supplicium non sine effectu fuerit apprecatus! sed eam potestatem apostolis singularem ac veluti in supplementum iustitiae civilis datam fuisse, iam supra demonstravimus, quam nemo sibi hodie temere arrogaverit. Huc accedit, quod Elymas (*b*) proprie excommunicatus dici non possit, quippe qui nunquam in communione ecclesiae Christi fuerat. In caeteros usus est Paulus virga illa apostolica, quam supra descripsimus. Hinc incestum Satanae se tradere dicit *σὺν τῇ δυνάμει τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*, qua formula procul dubio singularem illam potestatem apostolis concessam innuit. Vnde haec exempla tantum abest, ut anathematismos illos excusent, ut potius eos audaciae convincant, qui apostolorum usurpare privilegia

(*a*) *Luc. IX, 55. 56.* (*b* *Actor. XIII, 4. seqq.*

vilegia praesumunt. Nec est, quod nobis obiiciatur theologorum nostratium auctoritas. Non enim diffitemur, eos nonnunquam in excommunicationis definitione etiam traditionis istius in potestatem satanae facere mentionem. Sic HESHVSIO (*a*) excommunicatio est sententia verae ecclesiae, aut propter blasphemum errorem, quem post alteram commonefactionem deponere non vult, sed eum pertinaciter defendit, vel propter externa & notoria scelera de quibus nec admonitus poenitentiam agit, excluditur a communione sacramentorum & omni societate fidelium, abscinditur tanquam mortuum membrum a corpore Christi, & *potestati satanae traditur.* Sic & HEERBRANDVS, (*b*) clavem ligantem describit, quod sit potestas retinendi peccata manifestis sceleribus obnoxiis impoenitentibus, eosque excommunicandi, & arcendi ab usu sacramentorum & *satanae tradendi*, donec resipiscant. Sic & reliqui nostrates tantum non omnes. Sed sciendum, quoties nostri huius traditionis in potestatem satanae, aut anathematum meminerunt, toties non imprecationes aut diras intelligi, ita ut ecclesia eiusmodi homini revera varia mala spiritualia aeque ac temporalia imprecetur; & ut illae istis eveniant optet ac desideret; sed tantum denunciationem hanc esse, qualis futura sit hominis conditio, nisi ad frugem esset rediturus. Hinc si satanae tradunt hominem, tantundem est, ac si monerent, satanae eum fore obnoxium, quamdiu extra ecclesiam esset mansurus. Bene enim AVGVSTINVS: (*c*) *ideo*, inquit, *Paulus satanae tradere dicit, quia extra ecclesiam diabolus est, quemadmodum in ecclesia Christus.* Si dicunt eum anathema fore, indicant, hominem gratia Dei cariturum, quamdiu in statu impoenitentiae perstiterit. Quemadmodum & Paulus eum, qui Dominum Iesum Christum non amaverit, ἀνάθεμα, μαρὰν, ἀθὰ fore praedicat, (*d*) etiam ubi de excommunicatione non agit.

(*a*) *Heshus. exam. theol. loc. 17. pag. 358.* (*b*) *Heerbrand. comp. theol. p. 686.* (*c*) *Augustin. de verb. apost. serm. 68.* (*d*) *2 Cor. XVI, 22.*

agit. Haec igitur cum ita ſint, nemo non videt, diras illas imprecationum formulas, quæ in excommunicationibus uſurpari ſolent, non ſapere ſpiritum Chriſti, nec exemplum ullum in ſcriptura aut genuina antiquitate eccleſiaſtica habere. Magis id perſpicuum fore exiſtimo, ſi originem illarum indicavero. In primaeva igitur antiquitate chriſtiana nulla occurrit formula, quae imprecationes & anathematiſmos eiusmodi tanquam fulmina ſpargat. At vero ſi iudaeorum res inſpiciamus, invenimus eos primos illarum auctores eſſe. Interim nec hi quidem formulas iſtas (quae cum maledictionibus Moſis nihil commune habent) iam purioribus eccleſiae ſeculis adhibuere, ſed rebus iam inclinatis & quidem a magiſtris eccleſiae varie corruptas. Nota enim eſt formula eorum omnium ineptiſſima, barbariſque nominibus refertiſſima, quam non ſine ratione ex BVXTORFFIO (a) integram hic adſcribo: *Ex ſententia Domini dominorum, ſit in anathemate Ploni, filius Ploni, in utroque domo indicii ſuperorum ſcilicet & inferorum, in anathemate item ſanctorum excelſorum, in anathemate Seraphim & Ophanim, in anathemate denique totius eccleſiae maximorum & minimorum. Sint ſuper ipſum plagae magnae & fideles, morbi magni & horribiles. Domus eius ſit habitaculum draconum: caliginoſum fiat ſydus eius in nubibus: ſit in indignationem, iram & excandeſcentiam: cadaver eius obiiciatur feris & ſerpentibus: laetentur ſuper iſto hoſtes & adverſarii: argentum & aurum ipſius dentur aliis: & omnes filii eius ad oſtium inimicorum ipſius ſint expoſiti: ſuper die eius obſtupeſcant poſteri. Sit maledictus ex ore Addiciron & Achtariel, ex ore Sandalphon & Hadraniel, ex ore Anſiſiel & Pathiel, ex ore Seraphiel & Saganſael, ex ore Michael & Gabriel, ex ore Raphael & Meſchareriel. Sit anathematizatus ex ore Zafzavif, & ex ore Hafhavif, qui eſt Deus ille magnus, & ex ore ſeptuaginta nominum regis ter maximi, & ex ore denique Tzortak, cancellarii magni. Abſorbeatur ſicut Korah & coetus eius: cum terrore & tre-*

I *more*

(a) *Buxtorff. lex. talm. pag. 828. conf. Selden. lib. 4. cap. 7. de J. N. & G. pag. 524.*

more egrediatur anima eius, increpatio Domini occidat eum : strangu-letur ut Achitophel in consilio suo : sicut lepra Gechasi sit lepra eius : neque ulla sit resurrectio ruinae eius : in sepultura Israëlis non sit sepultura eius. Alienis detur uxor ipsius & super eam prostranto se alii in morte eius. In hoc anathemate sit ploni filius ploni & haec sit haereditas ipsius. Super me autem & super totum Israëlem expandat Deus pacem & benedictionem suam, Amen. Addantur etiam versus 18.19.20. capitis 29. Deuter. An ovum ovo aeque simile est, ac haec formula est illis, quibus christiani uti consueverunt? Solebant hi (*a*) imprecari lepram Gehasi: Sic & iudaei : *sicut lepra Gehasi sit lepra eius, neque ulla sit resurrectio ruinae eius.* Volebant excommunicatos ut Dathan & Abiramum terra absorberi. Sic & iudaei : *absorbeatur sicut Korah & coetus eius.* Iubebant eos ceu Cainum tremere & irae divinae subesse. Sic & iudaei : *cum terrore & tremore egrediatur anima eius, increpatio Domini occidat eum.* Damnabant excommunicatos ad perpetuam infelicitatem & mendicitatem. Sic & iudaei : *omnes filii eius ad ostium inimicorum eius sint expositi.* Maledictas esse iubebant eorum opes & instar arenae difflandas. Sic & iudaei : *domus eius sit habitaculum draconum, laetentur super isto hostes & adversarii, argentum & aurum ipsius dentur aliis.* Addebant porro anathemata patriarcharum, Abrahami, Isaaci & Iacobi, nec non anathemata CCCXIIX patrum nicenorum. Sed idem a iudaeis didicerant. Ita enim & hi : *in anathemate sanctorum & excelsorum, in anathemate Seraphim & Ophannim, in anathemate denique totius ecclesiae maximorum & minimorum.* Et paulo post : *Sit maledictus ex ore Addiciron & Achtariel, ex ore Sandalphon & Hadraniel, ex ore Ansisiel & Patchiel, ex ore Seraphiel & Sagansael, ex ore Michaël & Gabriel, ex ore Raphaël & Meschametiel. Sit anathematizatus ex ore Zafzavif & ex ore Hafhavif, qui est Deus ille magnus, & ex ore septuaginta nominum regis ter maximi, ex ore denique Tzortack cancellarii magni.* Prohibebant tandem christiani, ne quis mortuum sepeliret. At idem factitabant hi apellae : *Cadaver eius* obiicia-

(*a*) vid. Ricaut. pag. 58.

obiiciatur feris & serpentibus. In sepultura Israëlis non sit sepultura eius. Paullo prolixiorem instituimus collationem inter formulam graecis usitatam & eam, quae iudaeis in usu est, quo minus dubitari possit illam ex hac expressam esse. Quemadmodum vero iudaica ridicula est, & a gravitate Israëlitica maxime remota, ita & christiana excusari non potest. Si forte ad exempla, quae passim in V. T. occurrunt, provoces, dixerim ego, nec exempla ista ad excommunicationem pertinere, & magis excusabilia esse quam anathematismos istos, de quibus loquimur. Viri enim isti divino spiritu acti, probe perspexerunt, quid cuiusque statui & conditioni utile sit. Observare poterant, hos vel illos ita esse comparatos, ut sine acriore crucis remedio sanitatem recuperaturi haut essent. Quemadmodum & Paulus probe perspexit, incestum vix ad frugem rediturum, nisi satanae traditus carnis sentiret afflictionem. Hoc vero donum cum nobis ordinarie desit, non temere nobis ad anathemata & imprecationes ruendum erit, cum eas non ita dispensare sciamus, ac illi, qui prudentia prophetici spiritus instructi optime sciebant, qui essent incurabiles. Huc accedit, quod istae imprecationes aestimari possint & debeant tanquam vaticinia & propheticae denunciationes pœnarum futurarum in omnes Dei hostes non resipiscentes, qualem vaticinandi peritiam ad speciales etiam afflictiones sese extendentem nemo sibi temere hodie arrogabit. Scilicet, ut paucis me expediam, anathematismi excommunicationibus adiecti doctrinae toti de excommunicatione eiusque fini e diametro repugnant, nullumque nec in antiquitate, nec in sacra scriptura praesidium inveniunt.

§. XXII.

His praemissis statim apparebit, quid de graecorum prodigio sentiendum sit. Notum est, eorum excommunicationem permultum a genuina indole degenerasse. Cum enim illa proprie denunciatio sit retentionis peccatorum, nomine

& mandato Christi facta: graeci ausi sunt eam in poenam civilem convertere, & excommunicatis non solum retentionem peccatorum, sed & afflictiones civiles varias denunciare. Cum huic censurae subesse debeant impoenitentes & contumaces iique aliquoties moniti, graeci nulla habita vel delicti vel admonitionis vel poenitentiae ratione statim ad hanc severitatem progrediuntur, quemadmodum omnes observant, qui graeciam lustrarunt: denique cum finis sit excommunicationis peccatoris emendatio & animae salus: graeci corpori diras minantur, & praecipue illud in cinerem solvi nolunt. Posset quidem hic error levior videri: sed est re ipsa gravissimus. Nititur enim falsa interpretatione scripturae sacrae, & ex ea ipsa natus est. Dictum enim, *quicquid ligaveritis in terra* &c. male simul ad corpus referunt, idemque esse putant, ac si diceret Christus, cuiuscunque in terra corpus adstrinxeritis anathemate, illud ligatum ἀδιάλυτον & indissolubile permanebit etiam iudicio coelesti. Hinc semper in precibus συγχωρητικαῖς ad hoc dictum provocant, eoque potestatem suam & adstringendi & solvendi excommunicatorum corpora stabilire audent, (a) quae absurda esset probatio, nisi isto sensu verba acciperent. Hinc porro eadem verba quibus Christus usus est, nempe δεῖν & λύειν usurpant ad describendam corporis adstrictionem & resolutionem, quod non obscuro indicio est, eos dictum Christi perperam intelligere. Iam igitur licebit hactenus dicta colligere & hunc in modum arguere: Quodcunque prodigium anathematismos, doctrinae christianae repugnantes ex Iudæorum lacunis haustos & abusu verbi divini stabilitos confirmare debet, illud non est miraculis veris accensendum. Atqui hoc prodigium &c. Ergo non est miraculis veris accensendum. Maior patet ex charactere miraculorum quarto §. XVIII. demonstrato. Minor §§. proxime antecedentibus probata est, ergo conclusionem veram esse sua sponte consequitur.

§. XXIII.

(a) *Conf. preces §. II. adductas.*

§. XXIII.

Atque haec de excommunicatione. Doctrinae deinde de *abſolutione* prodigium hoc non minus repugnat. Sane enim quod & mortui poſt diſceſſum ſuum a ſcelerum reatu abſolvantur, prorſus monſtro ſimile & a natura purioris doctrinae alienum eſſe videtur. Primó enim Chriſtus, ubi hanc poteſtatem apoſtolis concedit, diſerte bis addit verba ἐπὶ τῆς γῆς, *cuicunque* **in terris** *remiſertis peccata, ei remiſſa erunt & in coelis.* (a) Hac additione quid ſibi velit ſalvator, facile patet. Comparat enim iuſtificationem, quae in iudicio divino per fidem in Chriſtum fit, cum remiſſione peccatorum in terris a miniſterio eccleſiaſtico annunciata, & illam perinde ac hanc certam & indubiam fore dicit, ſi in peccatoris poenitentia omnia recte ſe habeant. Quod ſi igitur iuſtificatio non niſi vivis conceditur & adhuc ἐπὶ τῆς γῆς viventibus, quod ipſi graeci nobis procul dubio concedent, multo minus abſolutio eccleſiaſtica alios quam vivos pro obiecto habere poteſt. Deinde & hoc apud omnes in confeſſo eſt, remiſſionem peccatorum, ſive in iudicio divino contingat, ſive per abſolutionem eccleſiaſticam annuncietur, praeſupponere ſemper poenitentiam ſeriam, hoc eſt, contritionem & fidem. Hinc ſaepe in ſcriptura ſacra poenitentia & remiſſio peccatorum tanquam antecedens & conſequens coniunguntur. Chriſtus ipſe poſt reſurrectionem diſcipulis apparens: *Ita ſcriptum eſt*, inquit, *atque ita oportuit Chriſtum pati, & reſurgere a mortuis tertio die, & praedicari in eius nomine* **reſipiſcentiam & remiſſionem peccatorum** *apud omnes gentes.* (b) Paulo ad apoſtolatum vocato dictum eſt: *ad gentes nunc te mitto, ut aperias oculos eorum &* **convertas a tenebris ad lucem,** *& a poteſtate ſatanae ad Deum,* **ut remiſſionem peccatorum** *& ſortem inter ſanctificatos accipiant* **per fidem**, *quae eſt in me.* (c) Petrus eandem viam ad remiſſionem peccatorum munit, dicens: *Reſi-*

(a) *Matth.* XVI, 19. XVIII, 18. (b) *Luc.* XXIV, 46. 47.
(c) *Actor.* XVI, 17. 18.

Resipiscite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomen Iesu Christi in remissionem peccatorum. (a) Inde consequens est, non posse absolutione ecclesiastica iuvari hominem impoenitentem, sceleribus suis immersum, ac ne resipiscere quidem cupientem. Etsi enim hominem fallit, & simulata emendatione absolutionem suffuratur, Deus tamen καρδιογνώστης & falli nescius retinet eius peccata in coelo, quippe quae sincera poenitentia nondum expiavit. Ipse hoc fatetur METROPHANES CRITOPVLVS (b) ubi a confitentibus necessario exigit ἀποχὴν τῆς ἁμαρτίας εἰς τὸ ἑξῆς, καὶ συγγνώμης αἴτησιν παρὰ τοῦ θεοῦ μετὰ συντετριμμένης καρδίας, ἐπ' ἐλπίδι, τῇ εἰς αὐτὸν τὸν θεὸν σταθερᾷ καὶ βεβαίᾳ, *abstinentiam a peccato in posterum, veniae petitionem a Deo cum contrito corde super spe in ipsum Deum stabili ac firma.* Quam in rem Davidis adducit testimonium *spiritum contritum & cor contritum ac humiliatum Deus non contemnet.* (c) Quibus firmiter stantibus necessario sequitur, mortuum beneficii huius ecclesiastici participem fieri non posse, quippe qui nec de peccatis dolere, nec in Christum credere, nec vitam emendare, atque adeo nec poenitentiam agere ac remissionem peccatorum consequi potest. Tertio scriptura sacra tempus gratiae non amplius extendit, quam usque ad mortem, post quam nec gratiae, nec remissioni peccatorum locum esse diserte testatur. Graviter Salomo: *ad omnes viventes* (in tota vita) *est spes. Viventes sciunt, quod morituri sint, sed mortui nesciunt quicquam, & non ultra eis merces.* (d) Hinc Christus vitam *diei*, mortem *nocti* comparat, *quando nemo potest operari.* (e) Paulus iubet nos *bonum operari ad omnes, dum tempus habemus*, (f) & Davides (g) hoc ineluctabile aevum praevidens, rogat ut Deus sibi in tempore poenitentiae locum concedat: *desine a me & recreabor, priusquam vadam & non sim.* Quod si igitur tempus gratiae cum morte praeciditur, sequitur nec abso-

(a) *Actor. II, 38* (b) *Metrophan. Conf. eccl. orient. cap. 10. pag. 104.* (c) *Ps. LI, 18.* (d) *Eccles. IX, 10.* (e) *Joh. IX, 4.* (f) *Gal. VI, 9.* (g) *Psalm. XXXIX, 14.*

absolutionem post mortem valere, eamque ludicram esse & inanem. Denique & hoc observandum est, mortuos, simul ac exspiraverint, vel ad beatam requiem, vel ad aeternum supplicium evolare. Sic enim animam latronis secum eodem die in paradiso fore Christus in cruce dixit. (*a*) Lazari egeni & miseri anima ab angelis in sinum Abrahae asportata est, cum e contrario heluo statim apud inferos in tormentis esset. (*b*) Quod si igitur animae in beatorum sedibus vivunt, non opus est absolutione, sin in satanae ergastula detrusae sunt, non prodest absolutio, siquidem inter haec loca *ingens constitutus est hiatus, ut qui volunt ex illo transire in hunc, non possint, neque hinc isthuc transire.* (*c*) Ipsi hoc agnoscunt graeci. Πῶς enim καθαρτήριον Romanensium impugnantes, in *confessione catechetica* (*d*) hoc inde absurdum eliciunt: si anima pro peccatis illis satisfaciat, ἤθελεν ἐμπορεῖ νὰ δεχθῇ καὶ μέρος ἀπὸ τὸ μυστήριον τῆς μετανοίας, *tum pari ratione sacramenti poenitentiae pars illic quoque peragi possit*, quod est, uti censent, ἔξω ἀπὸ τὴν ὀρθόδοξον διδασκαλίαν, *ab orthodoxa doctrina alienum.* Quod si igitur graeci poenitentiae partem ullam post mortem locum habere negant, quo pacto absolutionem admittere possunt, quae semper poenitentiam hominis absolvendi supponit. Ex quibus certa haec sequitur conclusio mortuos nec excommunicari, nec absolvi posse.

§. XXIV.

Nec est quod quis veteris ecclesiae ritum nobis obiiciat, quae pro mortuis orarae, oblationesque ferre, imo eosdem, si forte in expiati discessissent, etiam ecclesiae reconciliare solebat. Fatemur hoc fieri consuevisse. Id enim luculenter & ex nostratibus demonstrarunt B. IOACHIM. HILDEBRANDVS (*e*) & CHRISTIANVS KORTHOLDVS. (*f*) Fatemur etiam nonnunquam inexpiatos ecclesiae reconciliari consuevisse. Quem ritum ita describit GABR. ALBASPINAEVS: (*g*)

ecclesia

(*a*) *Luc. XXIII, 43.* (*b*) *Luc. XVI, 23.* (*c*) *Luc. XVI, 26.* (*d*) *Confess. catech. graec. pag. 86.* (*e*) *Hildebrand. in offertor. pro defunct. c. 7. seq.* (*f*) *Kortheld. disquisit. anti Baron. 12.* (*g*) *Albaspin. observ. eccles. lib. I. observ. 10. pag. 43. seq.*

ecclesia non minus aegre molesteque ferebat, nonnullos, cum e coetu fidelium eiecti extorresque dicerentur, emori, propter eaque a se aliquid afferri opis & auxilii oportere meditabatur; sed non ab ecclesia fuerunt excogitata quadam cum temeritate praesidia, qualia fuerunt ea, quae supra commemoravimus. Cum igitur poenitentiae tempore quis nec dum absolutione percepta vivere desiisset: ecclesia quicquid opis poterat, eius protegendi causa impendebat, & ad communionem fidelium revocabat, non eucharistiae aut baptismi quodam beneficio, ut authores huius erroris praestabant, sed oblationes, quae eorum causa a cognatis aut affinibus proponebantur, admittendo comprobabat: id autem aperte docent canones XII. Arelaten. II. II. Valensis. I. XVII. Antissiodoren. postremus, Epaunensis LXXIX. IIII. Carthaginen. XII. II. Toletani XIV. II. Aurelian. Adde id cognosci ex responsione Timothei archiepiscopi Alexandrini, & aliis quam multis locis, ex quibus clare dispicias, qui sine absolutione tempore poenitentiae obiissent, eos vere in societatem christianorum receptos, beneficio oblationum, quae fiebant. Duo ergo ex hoc ritu & observatione educas oportet. Primum, oblationes fuisse instar modi, seu facultatis cuiusdam, qua ius communionis comparabatur, quando illae ab ecclesia altari expositae & repraesentatae Deo a sacerdotibus erant. Alterum, post mortem ius communionis, a quo vivus quis exciderat, posse recuperari. Sed primo constat etiam in primitiva ecclesia vel nimia propensione in martyres vel aliis de causis quam plurimos inolevisse abusus, quos splendide pro traditionibus apostolicis vendebant, quod exemplo eucharistiae infantibus & mortuis datae, baptismi mortuorum aliorumque huius generis rituum est manifestum. Deinde ipsa reconciliatio mortuorum non eo sensu fiebat, ac si revera horum conditio melior eo ipso redderetur, sed tantum ut defunctos ante mortem serio resipuisse, & hinc absolutione dignos esse declararent. Ipse hoc fatetur ALBASPINAEUS multa huc argumenta conferens, ut rem probaret. Sic enim eos qui se praecipites dedissent, nullo modo ecclesiae redditos ait, quoniam genus hoc mortis omnem poenitentiae spem exclu-

deret,

deret, praeterea semper diligentissima conquisitione exploratum fuisse, quali morte vitam finierit, pia nimirum an impia: parentes quoque saepe multa de liberorum oblationibus & precibus esse mentitos, aut caussatos, eos per morbum non apud se fuisse, quoniam probe norant, reconciliationem istis non concedi, qui nulla poenitentiae signa dedissent, sed illis qui omnem curam & cogitationem eo contulissent, ut satisfacerent, quosque maximus de peccatis dolor angorque prope confecisset, qui denique omnibus modis elaborassent, ut in gratiam cum ecclesia redirent. Suspicatur etiam ALBASPINAEVS catechumenorum oblationes non aliam ob causam fuisse receptas, quam quod per vitam omnem suam mentem & studia eo contulissent, ut baptizarentur, & in numerum christianorum allegarentur. Haec ALBASPINAEVS, ex quibus satis apparet, graecis in antiquitate sacra nihil esse praesidii, cum primitivi christiani non quoslibet in excommunicatione mortuos, sed eos, quos moribundos multa poenitentiae signa dedisse sciebant, non absolverent, sed tantum cum ecclesia reconciliarent. Diu haec christianorum consuetudo in ecclesia permansit, adeo ut etiam in iure pontificio eius vestigia supersint. Sic enim ibi res explicatur: (a) *Qui morte praeventus absolutionis non potuerit beneficium obtinere, quamvis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud ecclesiam absolutus. Potest tamen & debet ei ecclesiae beneficio subveniri, ut si de ipsius viventis poenitentia per evidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.* Atque adeo conditionem animarum hoc ipso meliorem fieri antiqui non existimabant, quippe quas iam tum apud Deum esse supponebant, sed tantum memoriae eorum inter vivos consulebant, quod multo secus fit apud graecos, ubi & omnes in excommunicatione mortui, sicubi tumentes & tympanici inveniantur, absolvuntur, licet quales fuerint, atri an albi, non habeant compertum,

K

(a) *C. A nobis tit. de sentent. excommun.*

tum, & revera eorum conditio melior fieri creditur, cum corpus in cineres hoc ipſo ſolvatur, & anima e diaboli laqueis expediatur, ceu ex iis quae ſupra ex MALAXO & NOMOCANONIS auctore ſatis copioſe diximus, perſpicuum eſſe videtur.

§. XXV.

Quod ſi igitur ad orthodoxam de abſolutione eccleſiaſtica doctrinam graecorum praxin conſeramus, multae hic denuo falſae ac erroneae hypotheſes occurrent. Errant enim, dum abſolutionem ſacerdotalem & antecedentem confeſſionem auricularem abſolute credunt neceſſarias, ita ut, ſi quis vel ſerio poenitentiam egiſſet, remiſſionis tamen certum eſſe negent, niſi ſacerdotalis abſolutio accederet. Vnde poenitentiam ita deſcribunt, (a) *εἶναι ἕνας πόνος τῆς καρδίας διὰ τὰ ὁποῖα καληγορᾶ ἔμπροσθεν τοῦ ἱερέως, μὲ γνώμην βεβαίαν νὰ διορθώσῃ τὴν ζωήν τοῦ εἰς τὸ μέλλον: καὶ μὲ ἐπιθυμίαν νὰ τελειώσῃ ὅτι ἂν ἐπιτιμήσῃ ὁ ἱερεὺς ὁ πνευματικός: eſſe anxietatem cordis, quae apud hominem ex peccatorum memoria exiſtat, quorum ſeipſum apud ſacerdotem accuſet, cum firmo propoſito, vitae naevos inpoſterum emendandi, & omnia perficiendi, quae ſpiritualis ſacerdos ipſi eſſet imperaturus.* Hinc credunt firmiter, poenitentiam ſine confeſſione non eſſe legitimam, & ſi quis morte inopina praeventus, eam haut impetraſſet, eum ſi in ſtatu regenerationis obierit, ſalvari quidem poſſe concedunt, ſed tamen ut ſimul errorem ſuum in tuto collocent, Deum & ſanctos iſti modo ſpirituali & myſtico ſacramenta neceſſaria, ſcilicet abſolutionem, euchariſtiam & euchelaeum adminiſtrare contendunt. Eos vero, qui haec ſacramenta, cum facile eorum copia fieri poſſit, negligant, peccatum mortale committere ſtatuunt, quod tamen in futuro ſeculo ſanctorum interceſſionibus poſſit remitti. Exinde ſimul patet alter eorum error, quod nimirum etiam poſt mortem detur peccatorum remiſſio, ex quo deinde ſequitur tertius, clavem ſolventem per abſolutionem ſacerdotalem etiam in mortuos ſeſe extendere, quae omnia

(a) *Ricaut. cap. 12. pag. 55.*

omnia adeo a vera Christi intentione & fidei analogia recedunt, ut excusari nullo modo possint. Vnde denuo sic concludimus:

Quodcunque prodigium probare debet, absolutionem sacerdotalem etiam in mortuos valere, illud non est inter miracula divina iure referendum.

Atqui tympanicorum absolutio probare debet &c.

Ergo tympanicorum absolutio non est inter miracula divina referenda.

§. XXVI.

Tertio omnium in oculos incurrit, hunc graecorum ritum falsissima hypothesi *de statu quodam animarum intermedio* niti. Nam si absolutio defunctos iuvare debet, necessario sequitur, eos in eiusmodi loco esse constitutos, unde liberatio aliqua speranda est. Cum vero ex inferno proprie sic dicto nulla sit redemtio, id quod etiam saniores graeci, qui origenianismo non infecti sunt, ipsi fatentur: solus superest locus purgatorio analogus, ex quo redemtionem aliquam admittunt ii, qui illum credunt. Vnde consequens est, hanc hypothesin non alia quam hoc de eiusmodi loco errore niti. Hinc velint nolint graeci, aut locum hunc admittere, aut vanam de absolutione tympanicorum sententiam deserere, miraculumque suum e divinorum numero eximere cogentur. Recte enim hactenus LEO ALLATIVS (*a*) ex hac absolutione concludit: *animae istorum* (excommunicatorum) *in manu daemonis sunt, cruciatibus innumeris igneque inferni subactae, & nihilominus iisdem precibus, quibus corpus, absolvuntur vinculo excommunicationis, eaedem a potestate daemonis a tormentis ac cruciatibus liberatae in coelestem beatitudinem deducuntur. Pari modo aliae quoque animae separatae sacrificiis & precibus iuvantur & liberantur a poenis, quibus vexantur, & in gaudia secedunt & lumen inextinctum, & hae sunt quae moderate in corpore deliquerunt, & in poenitentia vitam finierunt.* **Ergo est alius hic locus**, *cum in inferno nulla redemtio sit, & in coelesti patria nullum tormentum, nisi Origenem sequi velimus, qui inferno illiusque poenis termi-*

K 2

(*a*) *Allat. de consens. utr. eccl. in purgat. n. 5. pag. 41.*

terminum posuit. Hactenus ALLATIVS, cuius argumentum, quicquid aliis videatur, non male concludit. Posita enim absolutione mortuorum statim poni purgatorium, aut certum locum illi analogum, quis non videt?

§. XXVII.

Dices forte, iniuriam a me fieri graecis, dum hunc eorum ritum ad purgatorium referam, quod tamen, me ipso fatente, damnent, & nullo modo admittant. Sed nullam me iis iniuriam facere, statim apparebit, si eorum sententiam paullo accuratius examinemus. Notum est, graecos magna contentione hanc a se suspicionem removere, nihilque minus admittere velle, quam purgatotium. METROPHANES CRITOPVLVS: (*a*) οὐδὲ γὰρ ἔστι πῦρ καθαρτήριον παρ' ἡμῖν. *Neque enim apud nos ignis purgatorius statuitur.* Pari fiducia EVSTRATHIVS IOHANNIDES ZIALOWSCI: (*b*) *Purgatorium,* inquit, *ignem ad decipiendos simplicium hominum animos a Romanae aulae hominibus callide excogitatum esse graeci putant.* Sed & CHRISTOPHORVS ANGELVS (*c*) hoc ipso argumento nostro premi se sentiens ita frigide satis respondet: οὐ λέγουσιν ἕλληνες ὅτι ἐστὶ καθαρτήριον, ἀλλ' ὡς προείπομεν, θαυματουργῶς ἐνίοτε γίνεται ὡς ὅταν εὑρεθῇ ὁ ἐχθρὸς τοῦ ἀφορισμένου, καὶ θέλει συγχωρῆσαι ἐκείνῳ τῷ ἀφορισμένῳ, τῷ ἀδικήσαντι, αὐτῷ ἀγαθῷ χριστιανῷ λύεται τοῦ ἀφορισμένου ἐκείνου τὸ σῶμα, καὶ στρέφεται εἰς κόνιν. *Nullum autem statuunt graeci esse purgatorium, sed ut iam ante dictum est, per singulare prodigium aliquando usu venit, ut quando excommunicati adversarius advenit, & excommunicato illi illatam ab eodem sibi viro probo iniuriam condonare cupit, corpus illius in pulverem redeat.* Sed an satis solide sic responsum sit, alii videant. Ita sexcenti alii purgatorii suspicionem amoliri solent, (*d*) etiam ex ipsis pontificiis CAVCVS, IODOCVS COCCIVS, ALEXANDER GVAGNINVS, THOMAS STAPLETONVS, ALFONSVS de CASTRO, (*e*) aliique plures.

Nec

(*a*) *Confess. cap. 20. pag. 149.* (*b*) *Zialovvsci delineat. eccl. graec. p. 250.* (*c*) *Enchirid. cap. 26. pag. 558. seqq.* (*d*) *vid. Confess. eccl. graec. a Normanno edit.* (*e*) *Cauc. in historia de graecor. recent. haeres. Cocc. thesaur. tom. 2. lib. 7. art. 5. Gvagnin. descript. Sarmat. cap. 2. Stapleton. promptuar. cathol. Alfons. de Castro lib. 8. de haeres. cap. de indulg. & lib. 12. cap. de purgator.*

Nec diſſimulabo, noſtrates etiam graecos hactenus conſtanter huius ſuſpicionis abſolviſſe. Notum enim eſt, quid contra THOMAM HADINGVM, BARTHOLDVM NIHVSIVM & LEONEM ALLATIVM a CALOVIO, QVISTORPIO, ELIA VEIELIO, CHRIST. ARNOLDO, IO. HENR. HOTTINGERO, HOORNBEECKIO, HABERKORNIO, IVELLO, FHELAVIO, aliisque diſputatum ſit, illis conſenſum graecorum in dogmate de purgatorio iactantibus, his negantibus, & magnopere contradicentibus. Sed ſi vera fateri liceat, dicendum erit, graecos verbis ludere, eccleſiis proteſtantibus palpum obtrudere, re ipſa non quidem cum romanenſibus, ſed tamen nec cum nobis ſentire. Profecto enim non ſequitur, graeci non ſtatuunt πῦρ καθαρτήριον, ergo ſtatum animarum intermedium non ſtatuunt. Primarius enim conceptus de purgatorio hic eſt, eſſe locum quendam, ubicunque demum ſit, (pontificii enim ab inferno diſtinguunt, graeci in ipſo inferno quaerunt,) in quo animae nondum ſatis expiatae non ſine moerore & afflictione teneantur, ita tamen, ut piorum precibus adiutae inde liberari & ad coelitum gaudia admitti poſſint. Hic inquam formalis eſt ſtatus eiusmodi intermedii conceptus, an vero haec afflictio per πῦρ καθαρτήριον, an alio modo, utrum in inferno, an in loco peculiari fiat, hae quaeſtiones ad circumſtantias pertinent, (*a*) quae ſive affirmentur, ſive negentur, nihil derogare

(*a*) Unde etiam ipſi pontificii non ſemper in his circumſtantiis conſentiunt. *Bellarminus* quidem lib. 2. *de purgat.* cap. 6. pro igne contendit, quem eiusdem cum elementari generis putat. Sed notatu digniſſima ſunt verba *Gerhardi LL. theol. tom. VIII. pag. 118.* ſi res, inquit, ita habet, cur Roffenſis & alii ex pontificiis pro ſtabiliendo purgatorio adducunt locum Pſal. LXV, 11. *tranſivimus per aquam & ignem?* cur Gregor. lib. 4. dialogorum cap. 40. & 55. refert, *animam Paſchaſii & cuiusdam alterius in balneis quibusdam purgatas?* cur Petrus Damian. in epiſt. de miraculis ſui temporis deſcribit viſionem *de purgatione animae S. Severini in quodam flumine?* cur Bonaventura l. 4. diſt. 20. diſputat, *non ſolum ignem, ſed etiam aquam, imo & umbram eſſe in purgatorio, & ea*

rogare possunt sententiae de statu animarum medio, quamdiu primarius iste conceptus salvus est. Quamobrem quocunque nomine locum illum vocent graeci, & quantumvis πυρὸς καθαρτηρίου vocem aversentur, rem ipsam tamen salva fronte a se amoliri non poterunt, si statum istum eo sensu, quem diximus, admittunt. Quod an faciant videbimus. Ipse METROPHANES CRITOPVLVS, (*a*) qui stylum magna cura protestantium auribus attemperare solet, ita rem proponit, esse quosdam, qui post migrationem ex vita continuo eundem cum Christo vitae statum consequantur: dari vero etiam, *οἳ μὴ μετὰ θάνατον εὐθέως τῆς ἐνεργείᾳ σωτηρίας τυγχάνουσι, ἀλλὰ δυνάμει καὶ ἐν ἐλπίδι ταύτην ἐνδέχονται, qui non statim a morte actu ipso salute ipsa potiantur, sed potentia, atque in spe illam excipiant.* Hos porro dicit dignos haberi, tentari prius *τῆς τοῦ θεοῦ πατρικῆς ῥάβδου, paterna Dei virga*, ut suo tempore etiam *actu ipso* beentur. Vocat deinde hunc locum *φυλακὴν carcerem*, & vult, ideo orationes pro defunctis a Christo esse institutas, ut vel ex aerumnis istis in universum liberentur, vel certe remissionem quandam & consolationem sentiant. Concedit praeterea, in loco isto animas sentire *ποινήν, poenam*; illud modo negat, eam vel ὀργανικὴν vel ὑλικὴν esse, id est vel per ignem vel per aliam materiam qualemcunque infligi. Fatetur porro, poenam hanc sese exserere *διὰ θλίψεως καὶ ἀνίας τῆς ἀπὸ συνειδήσεως*, per afflictionem & angustiam conscientiae, eamque his accidere ex recordatione eorum, quae in mundo neque secundum rationem, neque sancte perpetrarint. Denique ut hanc

& ea quasdam animas puniri? cur in aurea legenda memoratur, *Theobaldum episcopum animam in frusto quodam glaciei ante pedes iacentis cruciatam animadvertisse, & eam alloquentem se audivisse?* ibidemque in vita Conradi & Udalrici, *alios in avibus, quae in aquarum vortice crebro immergebantur, animas duas conclusas esse intellexisse, & eas missis liberasse?* cur in speculo exemplorum dist. 3. exemplo 3. refertur, *presbyterum quendam vidisse in ecstasi animam quandam pauperculam in stillicidio domus novem annos ventis pluviis & algoribus vexatam?* Sic scilicet pontificii ipsi nonnunquam πυρὸς καθαρτηρίου, salvo purgatorio, negligunt. (*a*) *loc. cit. pag. 147. seq.*

ut hanc gentis ſuae ſententiam a romanenſium purgatorio diverſam eſſe oſtendat, monet, graecos minime certum redemtionis tempus praefinire, nec πῦρ καθαρτήριον ſtatuere, nec denique pecuniam a cognatis defunctorum exigere, ut miſeri eo citius ex aerumnis evolent. Sed quis non videt, circumſtantias has eſſe, in quibus graeci a pontificiis diſſentiunt. Quis graecos, ſi cum Metrophane ſentiunt, ab errore abſoluat? Sed dices forte, ex Metrophanis aliorumque priuatorum hominum libris de totius eccleſiae doctrina iudicandum non eſſe. Reſpondeo, me eiusdem eſſe ſententiae. Sed Metrophanis tamen teſtimonium a nemine in dubium vocatum iri exiſtimo, cum homo inter proteſtantes ſcripſerit, idque egerit unice, ut graecos cum noſtra eccleſia in plerisque ſentire oſtenderet. Vnde eum de ſtatu defunctorum tam candide fuiſſe locuturum quis credat, niſi veritas hanc ipſi confeſſionem extorſiſſet? Praeterea ex ipſis graecorum euchologiis, libris publico cultui deſtinatis, ſatis perſpicuum eſt, graecos non aliter ſentire, ac Metrophanes ſcripſerat. Illa enim ſic orare iubent pro defunctorum animabus: (*a*) μετὰ πνευμάτων δικαίων τετελειωμένων, τὴν ψυχὴν τοῦ δούλου σου, σῶτερ, ἀνάπαυσον, φύλαξον αὐτὴν εἰς τὴν μακαρίαν ζωὴν τὴν παρὰ σοῦ φιλάνθρωπε. *Cum ſpiritibus iuſtis conſummatis ſervi tui animam fac quieſcere, illam in beatam vitam, quae apud te eſt, benigne cuſtodi.* Paullo poſt rogant, ut animae defuncti detur requies, ἐν τόπῳ φωτεινῷ, ἐν τόπῳ χλοερῷ, ἐν τόπῳ ἀναψύξεως, ἔνθα ἀπέδρα ὀδύνη, λύπη καὶ στεναγμός. *In loco lucido, in loco amoeno, in loco refrigerii, unde dolor aerumna & ſuſpirium omne exſulat.* Precantur porro, ut Deus animabus defunctorum omne delictum ſive verbo ſive opere ſive cogitatione commiſſum, ceu clemens Deus condonet. Denique ſeparatae a corpore animae ſtatum hoc modo deſcribunt: (*b*) Οἴμοι οἷον ἀγῶνα ἔχει ἡ ψυχὴ χωριζομένη ἐκ τοῦ σώματος; οἴμοι τότε πόσα δακρύει, καὶ οὐχ ὑπάρχει ὁ ἐλεῶν αὐτήν. Πρὸς τοὺς ἀγγέλους τὰ ὄμματα τρέπουσα, ἄπρακτα καθικετεύει· Πρὸς τοὺς ἀνθρώπους τὰς χεῖρας ἐκτείνουσα,

οὐκ

(*a*) *Euch©log. graec. pag. 525. ſeq.* (*b*) *pag. 532.*

οὐκ ἔχει τὸν βοηθοῦντα. Διὸ ἀγαπητοί μου ἀδελφοὶ, ἐννοήσαντες ἡμῶν τὸ βραχὺ τῆς ζωῆς, τῷ μεταστάντι τὴν ἀνάπαυσιν παρὰ Χριστοῦ αἰτησώμεθα, καὶ ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν τὸ μέγα ἔλεος. *Heu me! qualem luctam anima a corpore separata sustinet? heu me! quantum plorat, nec est qui misereatur eius? Ad angelos si convertit oculos, irrite deprecatur: sin ad homines tendat manus opem qui ferat, non invenit. Idcirco, o dilecti fratres mei, brevitatem vitae contemplati, requiem defuncto huic, & magnam animabus nostris misericordiam a Christo deprecemur.* Haec omnia qui rite contemplabitur, facile inveniet fundamentum iudicandi de tota controversia, quae inter pontificios & protestantes tamdiu agitata est, an nimirum graeci cum pontificiis purgatorium statuant, nec ne? Falluntur enim pontificii, si simile ac plane idem purgatorium igneum apud graecos quaerunt, recteque nostri illis hunc consensum affectantibus contradicunt, cum nec locum ab inferno diversum comminiscantur, ut pontificii, nec animas igne affligi dicant, nec alios horum errores admittant. Nec tamen e contrario nostratibus dissimulandum est, graecos statum animarum a damnatione diversum credere, qualem supra descripsimus, quem sive purgatorii sive alio nomine appellent, nostra parum interest. Candide satis de hac controversia iudicare videtur autor historiae criticae de fide & ceremoniis graecorum, a Dno. de MONI editus, quem RICHARDVM SIMONEM credunt. (*a*) Fatetur enim, graecos & purgatorium & tormenta per ignem negare, admittere tamen certum statum purgatorii (*un certain estát de purgatoire*) & hinc etiam pro defunctis orare. Fatetur etiam, esse aliquod discrimen inter orationes pro defunctis graecorum & latinorum. Hos enim mentem suam dilucidissime in suis precibus explicare, cum illi nimis generaliter loquantur. (*sont demeurés dans des termes plus generaux.*) Interim certum esse ait, illos quoque supponere locum, quem tamen infernum vocent, ubi animae tanquam in obscuro carcere detineantur, & huc

(*a*) *histoire critique de la creance & des coutumes du Levant. pag. 20. seq.*

& huc referendas esse orationes, in quibus precari soleant, ut animae locum istum tenebrosum praeterire, & in locum lucidum, in locum amoenum, in locum refrigerii, qui paradisus est, recta transire possint. Si vero orent, ut animae ex inferno liberentur, intelligi hoc aliter non posse, quam de statu quodam purgatorii, hoc est, quod in obscuro isto carcere, quem infernum vocare ament, duorum generum animae detineantur; alias, quae non tam enormiter peccarint, ut ad sempiternos cruciatus in loco isto sustinendos condemnari possint, alias, quae ibi in aeternum affligantur, & revera damnatae dicantur. Harum respectu e graecorum sententia dici posse, *ex inferno nullam esse redemtionem*, cum e contrario si illas respicias, locum habere possit dicterium: *In inferno est redemtio.* Haec laudatus autor, qui veritatem hac in controversia eo propius videtur attigisse, quo magis a L. ALLATII thrasonica audacia abest, qui graecos cum romanis plane idem sentire nobis persuadere voluit. E reformatis idem videtur THOMAE SMITHO, presbytero anglicano, in rebus orientalium ecclesiasticis versatissimo, & a partium studio, quod caput rei est, magnopere abhorrenti. Sic enim hic vir doctissimus nobis narrat: (a) *romanensium dogma de purgatorio,* „ *quod τὸ πῦρ καθαρτήριον frequentius appellitant, maxima cum animo-* „ *rum contentione* saltim verbis *reiicere videntur graeci, utpote* „ *nullo scripturarum testimonio, auctoritate nulla muniendum: qua fide* „ *populum curant instituendum in confessione catechetica:* οὐδεμία γραφὴ „ διαλαμβάνει περὶ αὐτοῦ, νὰ εὑρίσκεται δηλαδὴ κἂν μία πρόσκαιρος κόλασις „ καθαρτικὴ τῶν ψυχῶν, ὕστερα ἀπὸ τὸν θάνατον. Nulla scriptura de „ hoc tradit, quod reperiatur quaepiam poena temporaria ani- „ marum purgativa post mortem. *Quod altero absurdo, uti ipsis* „ *videtur, premunt. Si anima, inquiunt, pro peccatis illis satisfaciat,* „ *tum pari ratione sacramenti poenitentiae pars illic quoque peragi posset,* „

(a) *Thom. Smith. de eccl. graec. hodierno statu, pag. 173.*

„*quod est, uti censent, ab orthodoxa doctrina alienum.-- Sed* suspecta
„mibi est baec graecorum dissimulatio, *siquidem ipsi statuunt*
„*animas in abditissimis recessibus conditas detentasque* ἄνευ ἀερ. *aerumnas*
„*subire ac perpeti, viventium suffragiis, oblationibus & sacrificiis si non*
„*penitus liberari, saltem adiutas quoddam refrigerium percipere.* (a)
„*Qua de caussa* μερίδας *seu particulas in antecessum offerre solent.--*
„*At dum de errore purgatorii anxie nimis, ne dicam inepte sibi ca-*
„*vent, in errorem origenicum de animabus impiorum ex inferno tan-*
„*dem liberandis videntur prolapsi. Ita enim dogmatice statuunt: certo*
„*multi peccatores a vinculis inferni liberantur, non ob ipsorum poeni-*
„*tentiam aut confessionem in illis infernalibus claustris, sed ob viven-*
„*tium pia opera, & eleemosynas, propter ecclesiae pro iis fusas orationes,*
„*& potissimum propter incruentum sacrificium, quod quotidie offert*
„*ecclesia pro omnibus viventibus simul & defunctis.* Scilicet Smithus
ita arguit. Dum graeci animas in loco obscuro detineri ac
inde liberari statuunt, aut in loco aliquo intermedio id fiet, aut
in inferno. Cum vero a priore sententia sibi caveant, & tamen
hypothesin suam tueri velint, fieri inde necesse est, ut e Cha-
rybdi in Scyllam incidant, & ex inferno liberationem speran-
dam credant, qui error gravissimus Origenis est. Eundem
fere in modum, licet paullo obscurius, de graecorum sententia
disserit doctiss. RICAVTVS, (b) qui graecorum dogma his
aphorismis includit: (1) locus, in quem animae post discessum
e corpore sese recipiunt, ab inferno non est distinctus. (2) Ani-
marum aerumnae in eo consistunt, quod Dei conspectu pri-
vantur, interim nec igne nec flammis purgari queunt. (3) Ne-
que quatuor patriarchae, neque oecumenicus episcopus in-
dulgentiis suis vel unius horae veniam animabus in hoc car-
cere constrictis dare possunt. (4) Si vero nonnunquam in
gratiam recipiuntur, exinde hoc fit, quod fuerunt membra
militantis ecclesiae, quae piis operibus & precibus suis illis
miseri-

(a) *pag. 178.* (b) *Ricaut. cap. 14. pag. 64.*

misericordiam ac solatium parare potest. Ex quibus omnibus satis apparet, quaenam sit graecorum de statu animarum. a corporibus separatarum opinio.

§. XXVIII.

Iam ut ea, quae hactenus diximus, in unum colligamus, omnibus iam perspicuam fore credo graecorum aeque ac romanensium sententiam, & quod inter utramque discrimen intercedat. *Primo* enim graeci a nomine purgatorii & ignis purgatorii maximopere abhorrent; pontificii utrumque admittunt ac defendunt. *Secundo* graeci non statuunt locum quendam ab inferno distinctum, in quem animae mortuorum tantisper evolent, donec purgatae ad coelitum gaudia recipiantur; romanenses statuunt, & pro eo tanquam pro aris & focis contendunt. *Tertio* graeci aerumnas animarum non ab igne elementari aut flammis ustulatoriis, sed a paterna Dei virga, a carentia intuitionis Dei, ac tristi anteactae vitae memoria repetunt; pontificii poenas animarum in gravissimis flammarum cruciatibus ponunt. *Quarto* graeci nec pecunias hoc commento ullas exigunt, nec divitias cognatorum venantur; pontificii hoc faciunt impudentissime. In his omnibus adeo nullus inter graecos & romanenses consensus tantopere alias ab his iactatus apparet. In hoc tamen hactenus utrisque convenit, quod animae quaedam a corporibus separatae in infeliciore quodam statu aliquamdiu maneant, donec ecclesiae beneficio aut liberentur, aut consolationem aliquam percipiant. Unde fit, ut etiam utrique absolutionem mortuorum admittant, quam alias tanquam absurdam ludicram atque impiam reiicere cogerentur, nisi hoc errore essent fascinati. Hinc minime miramur, a GREGORIO M. papa Iustum (*a*) & Fructuosum (*b*) monachos, a BENEDICTO vero, mona-

 chorum

(*a*) *Greg. M. lib. 4. dial. cap. 55.* (*b*) *Joh. Diacon. in vita S. Gregorii, lib. I.*

chorum patre duas moniales (*a*) post mortem demum excommunibationis vinculis esse solutos, quoniam hoc cum doctrina pontificorum de purgatorio, iam tum gliscente, optime consistit. Quare ergo miremur graecos, idem facientes, cum non minus ac latini statum aliquem animarum a damnatione & beatitudine diversum agnoscant, piis ecclesiae operibus aut mutandum aut certe aliquantulum corrigendum.

§. XXXIX.

Haec vero graecorum sententia, quantum veritati divinae repugnet, quis non animadvertit? cum iisdem argumentis, quibus romanense purgatorium prematur. Neque enim tota scriptura S. quanta quanta est, ne verbo huiusmodi status meminit, ceu ipsi pontificii (*b*) aeque ac graeci (*c*) non sine indignatione fatentur. Cum vero tam sufficiens sit verbum Dei, *ut possit nos erudire in salutem per fidem in Christo*, imo *ut perfectus* (ἄρτιος) *sit homo Dei, ad omne opus bonum perfecte instructus:* (ἐξηρτισμένος) (*d*) quomodo factum est, ut de eiusmodi statu animarum nos non erudirent, cuius tamen notitia, e pontificiorum (*e*) inprimis mente, tam est necessaria, ut, *qui illud neget, eum in gehenna sempiterno incendio cruciandum*, dicant? Tantum vero abest, ut in scriptura eiusmodi status praesidium aliquod inveniat, ut potius adversa fronte cum veritate divina in scripturis revelata pugnet. Hae enim semper distinguunt inter credentes & incredulos, bonos & malos, via angusta & lata incedentes, filios lucis & filios tenebrarum, filios Dei & filios diaboli, oves & haedos, viventes secundum spiritum & viventes secundum carnem, salvos denique & damnatos. Mediorum hominum nullam faciunt mentionem, nec possunt etiam, salva thesi universalissima, quod ii, *qui credunt & baptizantur, salvi sint futuri, qui non crediderint, damnandi.* (*f*) Quomodo

(*a*) *Benedict, lib. 2. dialog. cap. 33.* (*b*) *Gerhard. LL. theol. Tom. VIII. pag. 118.* (*c*) *Confess. graec. catechetic. pag. 86.* (*d*) *2. Tim. III, 15. 17.* (*e*) *Bellarmin, lib. 1. de purgat. cap. 15.* (*f*) *Marc. XVI, 16.*

modo autem ſtante purgatorio, aut ſtatu tali, qualem ſibi graeci concipiunt, hoc diſcrimen manebit? Nec obſtat, quod dicunt, homines alios aliis eſſe meliores, alios aliis peiores. Hoc enim diſcrimen non ſtatum aliquem a beatitudine & damnatione diverſum, ſed tantum certos & diſtinctos beatitudinis aeque ac damnationis gradus importat. Nemini enim noſtratium dubium eſt, beatorum non quidem quoad obiectivam beatitudinem aut formam illius, attamen quoad praemia acceſſoria varios fore gradus. Siquidem ipſa ſcriptura dicit, fore ut *alii ibi fulgeant quaſi ſplendor firmamenti, alii inſtar ſtellarum in perpetuas aeternitates.* (*a*) *Quemadmodum alia ſit claritas ſolis, alia claritas lunae, alia claritas ſtellarum, ſtellaque a ſtella differat claritate, ſic etiam fore mortuorum reſurrectionem*, (*b*) ut alia argumenta ac ſcripturae teſtimonia a noſtris theologis affatim declarata & praeclare vindicata hic praetermittamus. Neque dubitandum putamus, quin & infernalium ſuppliciorum diverſi futuri ſint gradus, non quidem ratione durationis aut formae, ſed reſpectu poenarum ipſarum, quae aut remiſſiores aut intolerabiliores pro delictorum ratione erunt. Chriſtus enim ipſe fatetur, terrae ſodomorum & gomorraeorum tolerabilius fore in die iudicii, quam civitatibus, quae apoſtolos non receperint, (*c*) phariſaeorum damnationem futuram abundantiorem (*κρίμα περισσότερον*) proſelytos eorum eſſe filios gehennae (*διπλότερον αὐτοῖς*) *duplo ipſis peiores.* (*d*) Atque adeo praemia & cruciatus pro vitae vel ſanctae vel malae gradibus varia fore, ſcriptura S. dicit, at pios ullas aerumnas aut ſtatum aliquem infeliciorem manere, ubi dicit? Potius ex diſcrimine hominum, quod ſupra explicavimus, ita argumentamur. Sive vera & efficax fuit mortui fides, ſive falſa ac mortua, ſive nulla. Si vera, ſalvari eum certum eſt, licet & debilior fuerit. Si falſa, cer-

(*a*) *Dan. XII, 3.* (*b*) *1. Cor. XV, 42.* (*c*) *Matth. X, 15. Luc. X, 12. Conf. Matth. XI, 21.* (*d*) *Matth. XXIII, 14. 15.*

certissime damnatur, licet sub pulcherrima hypocriseos specie latuerit; si nulla, nec hoc quidem casu aliud quicquam eum manere potest, praeter damnationem. Quorsum igitur adversarii eos referent, quos in statu isto supra descripto collocant? Sane non ad ultimam classem, nam *qui non credit*, **iam iudicatus est**, *siquidem non credit in nomen unigeniti filii Dei.* (*a*) Nec ad mediam, nam *eos, qui nec calidi sunt nec frigidi*, **exspuet Christus ex ore suo**, (*b*) iisque dicet: *certe* **numquam novi vos, discedite a me** *operarii iniquitatis.* (*c*) Nec denique ad primam. *Qui enim credunt in filium, non veniunt in iudicium*, **sed transibunt e morte in vitam aeternam.** (*d*) Ergo ad nullam. Porro scimus, scripturam sacram omnibus piis statim post mortem promittere gaudiorum possessionem. *Ioh. V, 24. 2. Cor. V, 1. 8. Luc. XVI, 22. Esa. LVII, 2. Apoc. XIV, 13.* Quomodo igitur locum habebit aut purgatorium aut status quivis alius a damnatione diversus? id quod eo magis observandum est contra graecos, qui sibi persvadent, animas piorum ante iudicium nondum frui beatitudine, sed eam in spe expectare. Sed vix opus esse puto, ut desperatam aut purgatorii aut status ei analogi caussam ulterius oppugnem, cum & ipsos eius patronos tam anilis fabulae non possit non pudere. Tantum inde hoc argumentum elicio contra tympanicorum absolutionem:

Quodcunque prodigium doctrinam de medio animarum statu supponit & confirmat, illud non est divinis miraculis accensendum.

Atqui prodigium in tympanicorum absolutione fieri solitum hoc facit.

E. prodigium hoc miraculis divinis non est accensendum.

Maio-

(*a*) *Joh. III, 18.* (*b*) *Apoc. III, 16.* (*c*) *Math. VIII, 23.* (*d*) *Joh. V, 24.*

Maiorem propositionem §. XVIII. & hac ipsa, minorem §. XXVI. probavimus: unde conclusio sua sponte sequitur.

§. XXX.

Facile quidem & per alios fidei articulos ire liceret, & prolixius ostendere, absolutionem tympanicorum illis graviter repugnare, nisi chartam huic diatribae destinatam deficere mihi inter scribendum animadverterem. Portus igitur demum respiciendus est, si prius exceptionis unius scopulum adhuc praeternavigaverimus. Erunt enim, qui mirari se dicant, Deum hoc miraculum fieri permittere, ex quo tota graecorum ecclesia haut parum detrimenti capiat. Sed respondeo, saepenumero contingere, ut Deus hominum sese tentantium precibus ex iusto iudicio annuat, & prodigia fieri permittat, non quasi hominum errore delectetur, aut malum inde emergens velit, sed ut poenas dent homines, relictis Mose & prophetis miracula & signa anhelantes. Plura eiusmodi falsa miracula & signa collegit B. GERHARDVS, (a) ex quibus satis apparet, fieri ita posse, permittente Deo, & iusto iudicio hominum incredulitatem puniente. Nec obstat quod isthaec falsa miracula semel tantum contigerint, & privatos modo habuerint auctores, quorum imposturae facillime fuerint deprehensae; hoc vero prodigium veluti ordinarium sit, & toties contingat, quoties experimenti capiundi occasio sit, nec etiam ab uno aliquo privato homine proficiscatur, sed ab integra ecclesia graecanica, quam Deus a daemone tantopere decipi ac ludibrio haberi non sit permissurus. Facilis enim responsio est, fieri posse, ut totae etiam ecclesiae particulares iusto Dei iudicio eiusmodi illusiones experiantur, si verbi divini contemtu aut numinis tentatione divinam in se nemesin provocaverint. Probo id exemplo exorcistarum iudaicorum, qui tempore Christi universum terrarum orbem percurrentes, diabo-

(a) *Confess. cathol. lib. 2. art. 5. cap. 4. pag. 1228. seqq.*

diabolos certis quibusdam formulis eiiciebant, effectu ordinarie sequente. Meminit eorum Christus ipse, dum iudaeos sese blasphemantes interrogat: *quod si ego per Beelzebub eiicio daemonia, filii vestri per quem eiiciunt?* (*a*) & acta apostolorum nominant exorcistas huius notae septem, Scaevae pontificis iudaici filios, qui hanc θαυματουργίαν publice profitebantur. (*b*) Neque putandum est, privatorum quorundam & maleferiatorum hominum has fuisse praestigias. Synagogam enim iudaicam rem approbasse, ex talmudicis apparet, ubi & formulae incantationum eiusmodi, (*c*) & exempla (*d*) referuntur, ceu a LIGHTFOOTO est demonstratum. Talia igitur, si in ecclesia iudaica fieri permisit Deus, postquam illa vivo fonte relicto cisternas sibi parare coeperat: quid mirum si & graecis idem contigerit, ex quo Deum tentare multisque precibus hoc prodigium flagitare ausi sunt? probari id etiam potest exemplo omni exceptione maiore, nimirum probationibus istis candentis ferri, aquae frigidae & ferventis, aliisque, quae medio aevo per totum christianum orbem receptissimae fuerunt. Solebant enim homines, facinoris alicuius suspecti, si clerici essent, aut ob aetatem vel aegritudinem singulare certamen inire non possent, eo adigi, ut ferrum candens manu contrectarent, eo fine, ut si illaesi abirent, innocentes crederentur; sin minus, poenas subirent. Sin rustici essent aut non liberi, iubebantur aquae frigidae immergi, eo omine, ut si mergerentur, insontes; sin natarent noxii crederentur. Par ratio erat, si rei brachium nudum aquae ferventi immittere cogebantur, impunes abituri, si integrum extraherent, sontes, si ambustum. De quibus barbaris examinibus post

FRANC.

(*a*) *Luc. XI, 19.* (*b*) *Actor. XIX, 13. 14.* Conferri hic possunt, quae de exorcistis iudaicis ex antiquitate etiam profana doctissime differit *Hugo Grotius ad Matth. XII, pag. 383. tomo IV. Critic. sacror.* (*c*) *Tract. Joma babyl. fol. 84. 1. Avodah Zarah, fol. 12. 2.* (*d*) *Joma, fol. 57. 1. Lightf pag. 350. & 447. hor. hebr.*

FRANC. IVRETVM, LAMBECIVM & alios egregie & praeclare differit CAROLVS du FRESNE. (*a*) Certum eſt, has purgationes per omnem fere Europam receptiſſimas fuiſſe, etiam apud graecos, ceu PACHYMERES teſtatur. Neque effectu ſuo prodigioſo carebant, ut exempla fere innumera teſtantur, magnam partem a laudato CAROLO du FRESNE locis ſupra allegatis collecta, quae omnia mendacii arguere nullius frontis eſſet. Praeterea hoc prodigium aeque ac abſolutionem tympanicorum graecanicam, clerici ſibi vindicabant, qui certis ritibus ferrum igni immittebant, illi conceptis precibus benedicebant, multa ſimul ieiunia, miſſas aliaque officia celebrabant, & denique non ſine pompa intra ipſam eccleſiam examen inſtituebant, ceu ex legibus ADELSTANI regis, PACHYMERIS hiſtoria, ANDREAE SVENONIS, epiſcopi Lundenſis legibus ſcanicis aliisque monumentis probat laudatus du FRESNE. Quamvis vero haec prodigia quotidie fierent, & a tota eccleſia, etiam clero ſatis diu approbarentur: impia tamen erant, & non niſi tentationes Dei, imo ab ipſis gentilibus originem trahebant, (*b*) merito hinc a conciliis, pontificibus & piis principibus tanquam peſtilentiſſimi errores abrogata. Cum igitur tota eccleſia graeca aeque ac romana ſatis diu profanis his ritibus inhiarit, eaque maximi fecerit: an mirum, eandem fere fabulam, ſcena tantum mutata, hodienum in Graecia ludi? an mirum, diabolum iuſto Dei iudicio hominibus Deum tentantibus illudere? ſane id facit libentiſſime, dummodo homines prodigiis iſtiusmodi tanquam putaminibus delectati, veritatis divinae ſolidaeque pietatis nucleum interea

M negli-

(*a*) *Franc. Iuret. ad Ivon. Carnot. epiſt.* 74. *Lambec. lib.* 2. *Origg. Hamb. pag.* 40. *du Freſne Gloſſ. lat. part.* 2. *pag.* 384. & *part.* 1. *pag.* 275. *ſeq. Pachym. lib.* 1. *hiſt. cap.* 12. (*b*) Loca *Sophoclis ex Antigena, Strabonis lib.* 5. *Plin. lib.* 7. *H. N cap.* 2. *Servii ad Virg. lib.* 11. *Aeneid.* dudum allegavit *Grot. lib.* 1. *de verit. relig. chriſt. n.* 18. *pag.* 2020. *tom. VII. Crit. ſacr.* quibus & exempla apud indos, ſinenſes & americanos obſervata addi facile poſſunt.

negligant. Quae omnia cum ita ſint, non poſſum a me impetrare, ut miraculum iſtud, quantumlibet ſpecioſum, divinis annumerem, aut graecos ſuperſtitionis abſolvam.

§. XXXI.

Atque haec quidem ſunt, quae de excommunicatorum tympanicorum abſolutione dicenda in praeſenti putavimus. Accuratiora forte ab his expectari poſſent, qui ipſi inter graecos verſati, eorum ritus & dogmata magis perſpecta habeant; cum mihi aliorum narrationibus innitendum, deque ipſa re ex illis iudicandum fuerit. Rogo interim Deum miſericordem, & ſupplicibus votis obteſtor, ut eccleſiae graecae, ſponſae olim ſuae formoſiſſimae, nunc cum tyrannide turcica non magis quam ſuis erroribus eheu conflictantis poſt tot caſtigationes diuturnas miſereri, & eam ex omnibus ignorantiae, errorumque tenebris eripere dignetur, quo demum uno omnes ore, corde uno, S. S. Trinitatem indeſinenti voce celebremus Amen!